This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

654
UNIV. OF MICHIGAN.
MAY 8 1912

EXERCITATIONES CRITICAE IN LUCIANUM.

Specimen litterarium inaugurale

SCRIPSIT

H. O. DE JONG.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD J. M. N. KAPTEIJN,
MDCCCXCVI.

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN · LIBRARIES ·
THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
ARTES · SCIENTIA · VERITAS
1817

EXERCITATIONES CRITICAE IN LUCIANUM.

Exercitationes Criticae in Lucianum.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

MAX. CONRAT,

IUR. UTR. DOCT. ET IN FAC. IUR. PROF.,

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINAE HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN UNIVERSITATE AMSTELAEDAMENSI

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICO EXAMINI

SUBMITTET

HERMANUS OTTO DE JONG,

NATUS IN PAGO DANTUMAWOUDE,

DIE XV MENSIS FEBRUARII ANNI MDCCCXCVI,

HORA III IN AULA ACADEMICA.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD J. M. N. KAPTEIJN.
MDCCCXCVI.

888
L60
J79

B.C.

PARENTIBUS SACRUM.

Exactis annis, quibus in academia Amstelaedamensi Vestris, Viri Clarissimi, ut fruerer lectionibus mihi contigit, ex animi sententia gratias Vobis ago publicas habeoque sinceras.

Inprimis Tui, aestumatissime promotor, Clarissime NABER, *meminisse fas est, qui semper, ex quo in hac universitate litterarum classicarum studiis operam dedi, consilio et re mihi affuisti talisque mihi exstitisti magister, ut meliorem optare non possem. Vastam Tuam eruditionem, magna cum humanitate coniunctam, quanti faciant omnes Tui discipuli et hodierni et superiores, nuper expertus es, quum diem festum egisti, quo ante viginti quinque annos munus academicum adiisti. Si quid mea vota valebunt, per multos adhuc annos eodem animi corporisque vigore studiis Graecis vacabis.*

PRAEFATIO.

Pauca verba lubet praemittere de consilio, quo hoc opusculum exorsus sum. Quo anno in gymnasio Daventriensi v. d. A. J. Kronenberg (cuius institutionis laeto gratoque animo semper recordor) Graecas nos docebat litteras, Lucianum quoque aliquamdiu binas, si bene memini, horas singulis hebdomadibus legere solebamus, qui scriptor, commilitonibus meis non ingratus, mihi tam fuit iucundus, ut postea identidem ad eum relapsus, tandem consilium susceperim dissertationis argumentum ex eo petendi. Inter legendum observaveram textum, qualem Jacobitii editio exhibet, multis variisque vitiis adhuc esse inquinatum et sperabam fore ut coniecturis meis multos locos aperte corruptos emendare possem. Mox vero adhibitis novissimis editionibus vidi ingentem corruptelarum numerum iam esse correctum et etiam plures emendationes latere in variis virorum doctorum scriptis, quae praesertim triginta hisce postremis annis in lucem prodierunt tam multa, ut Germanus quidam velle se dixerit paulo minus laetam quotannis emenda-

U OF M

tionum segetem crescere. A consilio tamen me deterreri passus non sum, nam praeterquam quod ad scriptorem bene intelligendum et interpretandum textum, quam maxime potest, vitiis corruptelisque liberum esse necesse est, tironi nihil utilius existimo ad linguae Graecae rectam notitiam acquirendam quam rem criticam exercere in non nimis difficili scriptore; quam sententiam, a Cobeto saepius promptam, veram esse, ipse experientia sum doctus.

Facile fieri potest ut quispiam mihi obiciat fructus huius laboris tenues et exiles fuisse, quod etsi non nego, mihi tamen persuasum habeo non frustra operam et oleum me perdidisse, quoniam in alio argumento elaborando, etiamsi forte meliora et pulchriora invenissem, tamen plura discere vix potuissem. Nam ad rem criticam recte exercendam non ipsum tantum scriptorem accurate legere sufficit, sed etiam omnes quaestiones ad eum pertinentes cognoscere inque eas inquirere opus est, quod, quantum potui, sedulo feci. Gravi dolore nunc moveor, nam fatum obstitit, quominus gratum meum animum significarem erga v. d. E. Mehler, gymnasii Zwollani rectorem, e nostratibus procul dubio Luciani maxime gnarum, qui summa liberalitate ex magna sua Lucianeorum copia, quae mihi usui esse posse existimabat, per totum fere annum utenda dedit et semel iterumque de criticis meis conaminibus iudicium tulit, etiam saepius hoc facturus, nisi adversa valetudine conflictatus esset. Morbo

vero paulatim adgravescente ante paucos dies tristi nuntio affectus sum virum doctum, cuius in me tantum erat beneficium, mortem obiisse. Facile credent, opinor, omnes, quibus in patria nostra litterarum classicarum studia cordi sunt, et prae ceteris rectoris defuncti filius, amicus meus J. Mehler, commilito et studiorum socius, sincerum meum esse huius cladis dolorem.

Denique lectorem moneo consilium meum in Luciano emendando triplex fuisse: primum, ut cum iis communicarem quas ipse inveni emendationes; secundum, ut, quas ab aliis recte inventas esse putabam, etiam magis confirmarem; tertium, ut, quas pravas existimabam aut quae minus recte observata mihi videbantur, quantum possem, refellerem. Si forte fortuna factum est ut aliquid tanquam meum venditaverim, ab aliis iam ante inventum et editum, noli de fraude et furto cogitare, sed ignosce meae sive ignorantiae sive negligentiae.

Editionem Jacobitii tanquam fundamentum substravi librorumque eundem servavi ordinem, quo ibi leguntur.

CAPUT I.

Prometheus es in verbis [1]).

C. 3. *καὶ εἴ γε μὴ οὕτω φρονοίην, ἄξιος ἂν (εἶναί) μοι δοκῶ ὑπὸ ἑκκαίδεκα γυπῶν κείρεσθαι, εἶναι* recte supplevit Schaeferus. Praeterea mirationem movet verbum *κείρεσθαι* sic nude positum. Cum hoc loco si compararis Prometh II 20 *ἑκκαίδεκα γῦπας ἂν ἐπέστησέ σοι τὰ ἔγκατα ἐξαιρήσοντας,* Timon. 8 *ἀλλ' ὑπὸ γυπῶν τοσούτων ὁ κακοδαίμων κειρόμενος τὸ ἧπαρ,* D. D. I 1 *ὑπὸ ἑκκαίδεκα γυπῶν μὴ μόνον κείρεσθαι τὸ ἧπαρ,* denique Iov. Confut. 17 ubi prorsus iisdem verbis legitur: *ὑπὸ ἑκκαίδεκα γυπῶν κείρεσθαι τὸ ἧπαρ,* suspicio oritur, ultima haec duo vocabula excidisse; neque licet cum nostro loco conferre de Luctu 8 *ὑπὸ γυπῶν ἐσθιόμενοι,* nam praeterquam quod Herwerdenus iure, ut mihi videtur, *(ἐξ)εσθιόμενοι* requirit, ambiguitas in hoc verbo non inest, quae in verbo *κείρεσθαι* offendit.

Nigrinus.

C. 6. *μάρτυρα γάρ σε παραστήσασθαι πρὸς τοὺς πολλοὺς ἐθέλω, ὅτι οὐκ ἀλόγως μαίνομαι. Οἱ πολλοί* vulgus est; voluitne apud vulgus testem adhibere amicum? Hoc non verisimile

[1]) Hartmannus „Studia Critica in Lucianum" Lugd. Bat. 1877 pag. 52 praefert titulum „Prometheus es in literis".

est; potius suspicor a Luciano scriptum fuisse *πρὸς τοὺς ἄλλους*, apud reliquos amicos et necessarios. Non semel *ἄλλοι* et *πολλοί* confusa sunt. Cf. e. g. Schwartzius ad Hermot. 14, Toxar. 55, Jov. Confut. init. Herwerdenus ad Asin. 23 et Sbtius (= Sommerbrodtius) ad Q. Hist. Conscr. 23.

C. 11. *μὴ καὶ κατ' ἄλλο τι γένωμαι τοῖς ὑποκριταῖς ἐκείνοις ὅμοιος, οἵ.... χρυσίδας ἠμφιεσμένοι καὶ δεινὸν βλέποντες καὶ μέγα κεχηνότες κτλ.* Hemsterhusius probante Cobeto V. L. pg. 222 pro *χρυσίδας* — *ξυστίδας* coniecit, sed Sbtius tuetur servatque vulgatam lectionem et mordicus tenet Fritzschius; putat enim, ut *πορφυρίς*, ita etiam *χρυσίς* vestem significare posse et comparat *χρυσόπαστον στολήν* et similia apud Lucianum obvia. Hanc Fritzschii opinionem primo obtutu haud sane absurdam, tamen infirmat locus in D. D. III 2 *πορφυρίδα ἔχε, ὑποδοῦ χρυσίδας*, ubi *χρυσίδας* calceos auratos significare, quis est, qui non videat? Statuendum igitur est *χρυσίδας* aut diversa ornamenta aurea sive aurata indicare posse, aut nostro loco vocabulum esse corruptum, quorum hoc duco verisimilius.

C. 35. *τοῦτο δὴ τὸ τῶν Φαιάκων πάθος ἐπεπόνθειν.* Suspectum mihi est *πάθος*. Cf. Piscat. 38 *τὸ γοῦν τῶν Ἠλείων ἀτεχνῶς πεπόνθαμεν*, Apolog. 5 *ἄλλοι δὲ τὸ τοῦ πιθήκου πεπονθέναι σε φήσουσιν*, Bis Accus 21 *πεπονθότας δὲ ἀθλίους τὸ τοῦ Ταντάλου*, Fugit. 21 *τὸ τῆς Πενελόπης ἐκεῖνο πάσχω.* Vehementer dubito num Hermot. 8 *οὐδὲ ὅλως πάθος ἔτι τοιοῦτον πάθοι ἄν* nostrum locum satis tueri possit.

IUDICIUM VOCALIUM.

C. 5. *καὶ ὅ γε πρῶτος ἡμῖν τοὺς νόμους τούτους διατυπώσας... οὐ τῇ τάξει μόνον, καθ' ἣν αἱ προεδρίαι βεβαιοῦνται, διώρισαν, τί πρῶτον ἔσται ἢ δεύτερον, ἀλλὰ καὶ ποιότητας, ἃς ἕκαστον ἡμῶν ἔχει, καὶ δυνάμεις συνεῖδον.* Miror nondum correctum

esse *τὴν τάξιν* pro *τῇ τάξει* et (*τὰς*) *ποιότητας*; praeterea requiritur *διώρισε* et *συνεῖδεν*.

C. 9. articulus excidit: (*τῷ*) *ῥᾷ νοσήσαντι.*

TIMON.

C. 4. *ἀλλ' ὁ γενναῖος* [*καὶ*] *Γιγαντολέτωρ καὶ Τιτανοκράτωρ.*— *καί*, recte delevit Schwartzius. Fritzschius adnotat: „*Γιγαντολέτης* hic legisse videri potest scriptor Philopatr 4"

Non tantum legisse videri potest, sed haud dubie legit, ut apparet e Philopatr. 8, ubi Minerva audit *ἡ γιγαντολέτις θεός*. Ineptus huius libelli scriptor ipse hanc formam excogitare non potuit; aliunde ,desumpserit necesse est. Tuto igitur apud Lucianum rescribe *Γιγαντολέτης*; librarius ob sequens *Τιτανοκράτωρ* veram formam depravavit

C 11. Valde languent verba: *οἷον ἦν τὸ μέγα κεκραγέναι καὶ ὀχληρὸν εἶναι καὶ θρασύν. οὐ τοῖς δικαιολογοῦσι μόνοις, ἀλλὰ καὶ τοῖς εὐχομένοις τοῦτο χρήσιμον.* Quanto elegantior evaderet sententia et vividior foret oratio, si legeretur: *οἷον* (*ἄρ'*) *ἦν τὸ μέγα κεκραγέναι . . . . τοῖς εὐχομένοις* [*τοῦτο χρήσιμον*]; equidem valde suspecta habeo postrema verba. Sitne cum Cobeto V. L. pg. 222 *δικαιολογουμένοις μόνον* reponendum an vulgata lectio servanda (Fritzschius comparat Apolog. 12 *τῶν δικαιολογούντων*) ego diiudicare neque ausim neque possum.

C. 12. *καὶ μονονουχὶ δικράνοις ἐξεώθει με τῆς οἰκίας καθάπερ οἱ τὸ πῦρ ἐκ τῶν χειρῶν ἀπορριπτοῦντες.* Post Mehlerum [1]) iterum Schwartzius Mnem. vol. 13 pg. 92 eandem correctionem proposuit *ἀπορριπτῶν* flagitans pro *ἀπορριπτοῦντες*; aliter Herwerdenus, qui maluit *καὶ καθάπερ οἱ τὸ*

---

[1]) Luciani Dialogi quattuor (Timon, Philopseudes, Verae Historiae, Gallus); in usum Scholarum edidit E. Mehler. 1882.

π. ἐ. τ. χ. (sc. *ἀπορριπτοῦντες*) *ἀπερρίπτει.* Neutro modo sententia iuvatur; praestat acquiescere in vulgata lectione et ipsi Luciano negligentiae culpam iniungere; certe post *καθάπερ* — *χειρῶν* participium plurali numero sequi, necesse mihi videtur.

C. 13. *οὐδὲν ἔτι τοιοῦτον ὁ Τίμων ἐργάσεται [περὶ] σέ. πάνυ γὰρ αὐτὸν ἡ δίκελλα πεπαιδαγώγηκεν, περί* expunxit Mehlerus Mnem. I pg 407; praeterea scribendum esse (*ἤδη*) *ἡ δίκελλα* valde verisimile duco, quod, quam facile intercidere potuerit, incurrit in oculos

In eodem capite legimus: *καὶ ἀποδράσεσθαι ἀπειλῶν, εἰ καιροῦ λάβοιο.* Qui occasionem arripit *καιροῦ λαμβάνεται*; qui nanciscitur occasionem *καιρὸν λαμβάνει*; hinc ne punctum temporis dubitaveris mecum rescribere: *εἰ καιρὸν λάβοις.*

C 14. *ἀγνοούντων δὲ ὡς κατάρατος οἰκέτης ἢ οἰκονόμος ἢ παιδοτρίβης ὑπεισιὼν λαθραίως ἐμπαροινήσει, τὸν κακοδαίμονα καὶ ἀνέραστον δεσπότην ἐπαγρυπνεῖν ἐάσας τοῖς τόκοις.* Pro *παιδοτρίβης* Dindorfius *πεδότριψ* emendavit, quod omnes receperunt praeter unum Sbtium, qui *παιδότριψ* unice verum putat (in Lucianeis pg. 102), iniuria, ut mihi quidem videtur. Sed est aliud quid, quod me in his verbis offendit, nempe *ἐμπαροινήσει* pro quo *παροινήσει* requiro, cum dativus non sit additus. Comparo Catapl 26, Alexand. 41; *ἐντρυφᾶν* D. D. II 1, D Mort. II 2, de Merc. Cond. 16, Alexand. 42, Bis Accus 20, de Morte Per. 18, Saturn. 21, Dem. Enc. 3; *ἐμπομπεύειν* Apolog. 4; *ἐνασχημονεῖν* Icarom. 21; *ἐντραγῳδεῖν* Saturn. 19; *ἐνδιατρίβειν* Alex. 33, adv. Ind. 26, de Domo 11, ubique addito dativo personae. *παροινεῖν* recte legitur e. g. Ver. Hist. II 18, Xen. Anab. V. 8, 4, Platon. Eutyphr. 4 A et C

C. 21. *ἀλλ' ὁ Πλούτων ἀποστέλλει με παρ' αὐτοὺς ἅτε*

πλουτοδότης καὶ μεγαλόδωρος καὶ αὐτὸς ὤν· δηλοῖ γοῦν καὶ τῷ ὀνόματι.

Ludit in verbis Πλούτων et πλουτοδότης; lepor huius loci me iudice augeretur, si verba καὶ μεγαλόδωρος abessent; nec tamen ea condemnare ausim in scriptore, qui inprimis in hoc libello sententias onerat tanta epithetorum copia. Tutius vero sequentia verba: δηλοῖ γοῦν καὶ τῷ ὀνόματι tanquam emblema eiciam; manifesto glossam sapiunt et minuunt contextus concinnitatem.

In eodem capite leguntur haec: καὶ ὁ μὲν νεκρὸς ἐν σκοτεινῷ που τῆς οἰκίας πρόκειται ὑπὲρ τὰ γόνατα παλαιᾷ τῇ ὀθόνῃ σκεπόμενος, περιμάχητος ταῖς γαλαῖς· ἐμὲ δ'οἱ ἐπελπίσαντες ἐν τῇ ἀγορᾷ περιμένουσι κεχηνότες ὥσπερ τὴν χελιδόνα προσπετομένην τετριγότες οἱ νεοττοί. Mehlerus offendisse videtur in voce γαλαῖς; dubitanter suspicatus est εὐλαῖς esse reponendum. Sane mirari possis a mustelis cadaver devorari; possuntne vero αἱ εὐλαί dici μάχεσθαι περὶ νεκροῦ?

Etiam aliud est in his verbis, quod correctione eget, sc. οἱ ἐπελπίσαντες, pro quo ἐλπίσαντες exspectamus. ἐπελπίζειν legimus D. Mort. V 2 κἀκεῖνος εὖ μάλα διαβουκολεῖ αὐτοὺς καὶ ἐπελπίζει, ubi omnes libri et Thomas Magister ἐλπίζει exhibent, recte vero edd. vett. et lemma scholii in V ἐπελπίζει. Discrimen luculenter ostendit nescio quis grammaticus ab Hemsterhusio citatus: ἤλπισαν καὶ ἐπήλπισαν διαφέρει· ἤλπισαν μὲν γὰρ αὐτοί τινας ἐλπίδας ἔχοντες περί τινος· ἐπήλπισαν δὲ ἕτεροι ἑτέρους εἰς ἐλπίδα ἤγαγον. Est locus, qui nostrum tueri videtur: Thuc. VIII 54 καὶ ἅμα ἐπελπίζων ὡς καὶ καταβαλεῖται, sed Herwerdenus recte ἔτι ἐλπίζων emendavit, quae correctio nostro quoque loco adhibenda videtur, ut scribatur οἱ ἔτι ἐλπίσαντες.

Praeterea memorandum est Cobetum V. L. pg. 222

παλαιᾷ τῳ ὀθόνῃ flagitare improbante Fritzschio „quum articulus praemisso adiectivo plane sit Lucianeus," quod argumentum mihi non satisfacit. Contra confidenter et Anach. 18 ἐπὶ ψυχροῦ του λίθου (pro τοῦ) et de Morte Per. 45 τῳ δριμεῖ φαρμάκῳ (pro τῷ) corrigo. Cf. Schwartzius ad pro Lapsu in Salut. 1 et Sauppius (apud Sbtium) ad Q. Hist. Conscr. 7.

C. 24. πῶς οὕτω τυφλὸς ὢν εὑρίσκεις τὴν ὁδόν; ἢ πῶς διαγιγνώσκεις, ἐφ' οὓς ἄν σε ὁ Ζεὺς ἀποστείλῃ κρίνας εἶναι τοῦ πλούτου ἀξίους;

ΠΛΟΥΤ. οἴει γὰρ εὑρίσκειν με οἵτινές εἰσιν;

Mehlerus: „pro εὑρίσκειν scripsi εὖ κρίνειν; respondet Plutus ad ea, quae interrogaverat Hermes: ἢ πῶς διαγιγνώσκεις, ἐφ' οὓς ἄν σε ὁ Ζεὺς ἀποστείλῃ κρίνας εἶναι τοῦ Πλούτου ἀξίους; Hodie vero vir doctus confitetur se veram et certam emendationem non videre; et sane est, quod in illa coniectura reprehendi possit. Animadvertendum enim est in priore interrogatione ad Jovem pertinere participium κρίνας, ut satis apparet e c. 25 init ὅσους ἂν οἴηται (sc. Jupiter) τοῦ πλουτεῖν ἀξίους. In responso igitur potius exspectes διαγιγνώσκειν, quod Sbtius [1]) audacter in textum recepit. Probabiliter locus nondum est correctus et vereor ut satisfaciat, quod mihi ipsi venit in mentem: οἴει γὰρ εὑρίσκειν με (τὴν ὁδὸν ἢ διαγιγνώσκειν) οἵτινές εἰσιν; ut interciderint verba a Pluto ex interrogatione repetita.

C. 25. ὅς γε τυφλὸν ὄντα εἰδώς, ἔπεμπεν. Pronomen με inserendum est sive ante τυφλόν sive ante εἰδώς; deinde Naberus [2]) suspicatur (εἶτα) ἔπεμπε; at, si quid mutandum est, potius ὅμως intercidisse crediderim.

---

[1]) Ausgewählte Schriften des Lucian. Erstes Bändchen 1888.
[2]) Verslagen en mededeelingen der Kon. Acad. van Wetenschappen 1871.

C. 29, ΕΡΜ. Ὡς δὲ λεῖος εἶ καὶ ὀλισθηρός, ὦ Πλοῦτε, καὶ δυσκάτοχος καὶ διαφευκτικός, οὐδεμίαν ἀντιλαβὴν παρεχόμενος βεβαίαν, ἀλλ' ὥσπερ αἱ ἐγχέλεις [ἢ οἱ ὄφεις] διὰ τῶν δακτύλων δραπετεύεις οὐκ οἶδ' ὅπως. Verba ἢ οἱ ὄφεις seclusit Mehlerus Fritzschius et Cobetus V. L. pg. 223 ὡς [δὲ] λεῖος coniecerunt, expuncto δέ, Naberus ὡς· δόλιος, Paetzoltius [1]) ὅμως δὲ λεῖος. Postrema coniectura procul dubio improbanda est; cf. Hermot. 59 ὡς ὀλισθηρὸς εἶ, ὦ Ἑρμότιμε καὶ διαδιδράσκεις ἐκ τῶν χειρῶν. Saepe iisdem verbis utitur Lucianus in iisdem rebus; δόλιος quanquam palaeographice lenissima correctio, ideo paulo minus placet, quod cum ceteris adiectivis non aeque bene convenit atque λεῖος; contra facilius est δέ expungere, quam explicare, quomodo in textum pervenerit.

Certior est medela in alio peccato: pro δραπετεύεις — δραπετεύων rescribatur necesse est, ne constructio perturbetur.

C. 46. καὶ μὴν ἄν γε μικρὸν ἔτι βραδύνῃς (pro ἐπιβραδύνῃς corr. Cob. de Arte Interpret pg. 124) φόνου τάχα προσκεκλήσομαι.

In errore versatur Sbtius, qui in novissima editione: „προσκεκλήσομαι in passivem Sinne: Du wirst dann auch noch (πρός) des Totschlags mich anzuklagen haben" et paulo ante, ubi προκαλοῦμαί σε τραύματος legit: „προκαλοῦμαι in iudicium vocare (Vgl. Vitar Auct. C 7)." At rectissime in omnibus editionibus tribus hisce locis legitur verbum προσκαλεῖσθαι, de cuius usu ita egit Cob. N. L. pg. 375 sq. ut nulla dubitatio superesse possit. Praeterea idem V. L. pg. 80 recte observavit, id ipsum,

---

[1]) Observationes Criticae in Lucianum 1880.

quod Lucianus scripserat, non carere errore, sed *προσκληθήσομαι* dicendum fuisse.

HALCYON SIVE DE TRANSFORMATIONE

C. 4. *ἢ γυναικὸς εἶδος μεταπλασθὲν εἰς ὄρνιθός τινος ποιῆσαι.* Vereor ne *μεταπλασθέν* corruptum sit et *μεταπλασθῆναι* vera sit lectio, si confero D. D. XVIII 1 *διασπασθῆναι ποιήσας*, D. Marin. VI 3 *πηγὴν ἐπώνυμόν σοι ἀναδοθῆναι ποιήσω*, quod pro inepto *ἐάσω* ab Hemsterhusio et Herwerdeno coniectum, in optimis libris etiam legitur et a Fritzschio in textum receptum est. Philopseud. 30 *οἰκεῖσθαι τὴν οἰκίαν ἐποίησε.*

C 7. *ἐπεὶ καὶ αὐλῆσαι τοῖς ἀναύλοις καὶ ἀναγνῶναι ἢ γράψαι τοῖς ἀγραμμάτοις γραμματικὸν τρόπον ἀδυνατώτερόν ἐστι τέως, ἕως ἂν ὦσιν ἀνεπιστήμονες τοῦ ποιῆσαι γυναῖκας ἐξ ὀρνίθων ἢ ὄρνιθας ἐκ γυναικῶν.*

τοὺς ἀγραμμάτους esse homines *οἳ οὐδὲ γράμματα ἴσασιν*, hoc credo *καὶ τυφλῷ δῆλον* est. Quomodo igitur sanus homo addere potuerit *γραμματικὸν τρόπον*, equidem prorsus non intelligo. Verba et supervacanea sunt et inepta, quasi quis etiam *ἄλλον ἢ γραμματικὸν τρόπον ἀγράμματος* esse possit.

PROMETHEUS SIVE CAUCASUS

C. 9. *καὶ ἀετοὺς καταπέμπειν καὶ τὸ ἧπαρ ἐκκολάπτειν.* Aquilas illas, non ipsum Iovem Promethei iecur exedere apparet, quem sensum ut verbis elicias pro *καί* *ὡς* erit reponendum. Cf D. Mort. IV 1 *καὶ κηρὸν ὡς ἐπιπλάσαι τὸ σκαφίδιον*, Imagg. 12 *καί μοι δοκῶ — δεήσεσθαι πρὸς τὴν εἰκόνα, οὐ πλαστῶν οὐδὲ γραφέων μόνον, ἀλλὰ καὶ φιλοσόφων ὡς πρὸς τοὺς ἐκείνων κανόνας ἀπευθῦναι τὸ ἄγαλμα*, Asin. 28 *ἡ δὲ τῇ μύλῃ με ὑπεζεύγνυεν, ὥστε ἀλεῖν* (*ὥστε* huius libelli scriptor pro Lucianeo *ὡς*), de Dipsad. 7 *συλλέγουσι δ' ἄρα τὰ ᾠὰ — οὐχ ὡς φαγεῖν μόνον.*

C. 15. Post *ἀγαθὸν ἀμάρτυρον* misere languent verba: *ὃ μηδεὶς ὄψεται μηδὲ ἐπαινέσεται*, neque recte dicitur *ἀγαθὸν ἀμάρτυρον, οἷον κτῆμα ἢ ποίημα*, quasi *κτήματα* et *ποιήματα* semper *ἀμάρτυρα* sint. Sed e sequentibus *ἀμάρτυρον* in textum se insinuavit, quod si deleveris, omnia in vado erunt

DIALOGI DEORUM.

IV 2. *τὰ δὲ πρόβατα ἴσως οἱ λύκοι διαρπάσονται κτλ.* Eadem significatione, qua hic verbo *διαρπαζεσθαι* usus esse videtur Lucianus, aliis locis XII 1, XVIII 1, XIX 1, D. Mort. XIII 6 *διασπᾶσθαι* legitur; nec dubium esse potest quin supra etiam scribendum sit *διασπάσονται.*

V 3 extr. Semel monitus nemo negabit in verbis *οὐ βούλομαι δὲ εἰπεῖν, μή σε παροξύνω ἐπὶ πλέον* post *εἰπεῖν* excidisse *ὅτου*, quo ipsam Iunonem petitam esse, satis apparet.

XVI 1. *καλὰ μέν, ὦ Λητοῖ, καὶ τὰ τέκνα ἔτεκες Διί.* Sbtius praefert cod. Marc. 436 lectionem *τὰ τέκνα ἃ ἔτεκες*; equidem deleto *καί* sententiam sanam esse dixerim.

Ibidem: *τὸ δὲ ἐν Κλάρῳ καὶ ἐν Διδύμοις ἐξαπατᾷ τοὺς χρωμένους αὐτῷ, λοξὰ καὶ ἐπαμφοτερίζοντα πρὸς ἑκάτερον τῆς ἐρωτήσεως ἀποκρινόμενος.* Qualia sint oracula *ἐπαμφοτερίζοντα* adeo facile est intellectu, inprimis addito altero adiectivo *λοξά*, ut verbis *πρὸς ἑκάτερον τῆς ἐρωτήσεως* libenter careamus. Sed duplex praeterea est causa, cur ea eicere audeam et quod, si bene ea tecum reputaveris, apparebit verba sensu cassa esse, et quod ipsi libri vacillant, aliis *πρὸς ἑκάτερον* omittentibus, aliis *ἑκάτερα* exhibentibus. Denique omnem dubitationem removet Jov. Confut. 14 *ἐῶ γὰρ λέγειν ὡς λοξὰ* (ita recte Dindorfius recepit e Gorl. pro *ὡς καὶ ἀμφίδοξα*) *καὶ ἐπαμφοτερίζοντα τοῖς πολλοῖς χρᾶν εἰώθατε κτέ.*, ubi inepta illa verba *πρὸς ἑκάτερον τῆς ἐρωτήσεως* optime absunt.

XVIII 1. Haud dubitanter e Vat. 87 αὐτῷ corrigo pro αὐτοῖς in: εἰ δὲ παιδιὰ καὶ τρυφὴ πρόσεστιν αὐτοῖς, Baccho sc. Cf. Timon. 27 χωλὸν καὶ τυφλὸν καὶ ὅσα ἄλλα μοι πρόσεστι, Alexand. 4, de Saltat. 63, Pseudolog. 2, 4, Saturn 27.

XIX extr. οἶδα, ὦ τέκνον, πολλὰ ἐκεῖνον ἐτόξευσας. Scio πολλά saepius verbis addi ut πολλὰ ἀρᾶσθαι apud Homerum, Toxar 14. πολλά ἱκετευθείς, sed hic „saepe," non „multum, vehementer" requiritur, ut πολλάκις rescribendum esse arbitrer, quod et ipse cod. Vat. 87 exhibet. Nec semel πολλά et πολλάκις confusa sunt Etiam Jov. Trag. 46 pro πολλά Bekkerus et Cobetus. V. L. pg. 264 πολλάκις correxerunt.

XX 8. ΕΡΜ. οὐκ οἶδα· πλὴν οὐχ οἷόν τε ἀναδῦναι πρὸς τοῦ Διὸς κεκελευσμένον. Malim ἀναδῦναι (τὸ) πρὸς τ. Δ. κ. ἀναδύεσθαι eodem sensu usurpatur pro Imagg. 16, Navig. 27, 37, de Morte Per. 26, qui vero loci non ab omni parte cum nostro conveniunt, quum accusativus non additus sit eius rei, quae retractatur. Nihil tamen differt Platon. Theaet. 145 C. μὴ ἀναδύου τὰ ὡμολογημένα, Polyb. IV 7, 6 τὴν ἔξοδον ἀναδύεσθαι, Hom Iliad. XIII 225 ἀνδύεται πόλεμον.

DIALOGI MARINI.

VII 2. ὁ μέντοι Ἑρμῆς τί παθὼν μεταβέβληκεν ἑαυτὸν καὶ ἀντὶ νεανίου κυνοπρόσωπος γεγένηται; Miratur Notus Mercurium generosam, pulchram suam iuvenilem faciem in caninam mutasse. Haec vero verborum sententia ut exprimatur, inserendum est ἀντὶ νεανίου (γενναίου), quod quomodo excidere potuerit, non est quod apertius dicam.

VIII. 2 καὶ ἔπεσεν ἐς τὴν θάλατταν ὡς αὐτίκα πάντως ἀποθανούμενος. Fritzschius, duce Herodoto, huius fabulae auctore, maluit καὶ ἐπήδησε, quod in textum recipere non

dubitavit, sed qui semet ipsum praecipitat in mare, in puteum, in ignem, non semel apud Lucianum *ἐμπίπτειν* dicitur, veluti D. Marin. IX 1. *καὶ ἐμπεσεῖται ὑπὸ τοῦ Ἀθάμαντος διωκομένη ἐς τὸ πέλαγος*, XV 2 *δρομαῖος μὲν ὁ Ζεὺς ὥρμησεν ἐπὶ τὴν θάλατταν φέρων αὐτὴν καὶ ἐνήχετο ἐμπεσών*, D. Meretr. XII 2 *ἢ ἐς τὸ φρέαρ ἐπὶ κεφαλὴν ἐμπεσοῦσαν*, de Morte Per. 24 *συνεμπεσὼν ἐπὶ κεφαλὴν ἐς τὸ πῦρ*.

IX 1. *τροφὸς γὰρ αὐτοῦ* (sc. Bacchi) *καὶ τιτθὴ ἡ Ἰνώ*. Solus cod. F *τηθίς* habet, quod, quum praecedat *τροφός* et Ino revera Bacchi esset matertera, hic fortasse praeferendum est. *τιτθίδος* et *τηθίδος* confusio etiam notata est a Nabero in 3ª epistola Synesii (Mnem. 1894 pg. 97).

DIALOGI MORTUORUM.

I 1. *εὕροις δ' ἂν αὐτὸν ἐν Κορίνθῳ κατὰ τὸ Κράνειον ἢ ἐν Λυκείῳ τῶν ἐριζόντων πρὸς ἀλλήλους φιλοσόφων καταγελῶντα*. Malim *ἐν* (*τῷ*) *Λυκείῳ* (Cf. Anach. 29 *τῶν ἐν τῷ Λυκείῳ γυμναζομένων*), quod etiam *τὸ Κράνειον* articulus est additus Ceterum vellem scriptum esse *ἢ ἐν τῷ Λυκείῳ Ἀθήνησι*, sed nihil audeo mutare. Alia de causa Rothsteinius [1]) in hac sententia haesit „neque orationem satis esse concinnam et aegre desiderari verbum, quo, quid in Craneo facere solitus sit Menippus indicetur; vix enim probabile esse Cranei mentionem fecisse Lucianum, nisi ad rem aliquam lepidam in auditorum memoriam revocandam." Hinc, quum Vat. 87 post *τὸ Κράνειον* addat *ἡλιαζόμενον* et cod. Palatinus 73, qui fluxisse videtur e. Vat. 90 *ηλιθεροῦντα* praebeat, „depravatum ex *εἰλιθεροῦντα*? vel *εἰληθεροῦντα*, hoc verbum aptissimum neque vulgare," ipsi Luciano deberi putat. Sed me iudice praestat acqui-

[1]) Maximilianus Rothstein. Quaestiones Lucianeae 1888

escere in tradita lectione, quae et ipsa bonum dat sensum, nec obliviscendum est, ipsum Lucianum Rhet. Praec. 17 verbum illud *εἰληθερεῖσθαι* damnare

I 4. *ἐάσωμεν τούτους, ἐπεί σοι δοκεῖ.* Post *ἐάσωμεν* supplendum est *οὖν*; eodem modo est peccatum Apolog. 11 ubi Fritzschius e cod. C *τοῦτο μὲν οὖν εἶναι δοκεῖ* recepit, et Tyrannic. 8 Schwartzius correxit: *τίνα ἂν* (*οὖν*) *ὁ περίλοιπος κολασθείη τρόπον*;

II 2. *ἔνθα γὰρ ἂν ἴητε, ἀκολουθήσω ἀνιῶν καὶ κατᾴδων καὶ καταγελῶν.* Quid hic significat *κατᾴδων*? Si genuinum est, significare debet „cantu opplere, cantando molestiis afficere alqm. Sed vehementer dubito, num usquam hoc sensu usurpatum inveniatur, neque comparari potest Bis Accus. 16, ubi de Polemone legimus: *ἐκώμαζε διὰ τῆς ἀγορᾶς μέσης ψαλτρίας ἔχων καὶ κατᾳδόμενος ἕωθεν ἐς ἑσπέραν*, ubi itidem participium *κατᾳδόμενος* corruptum esse vidit Herwerdenus *καταυλούμενος* corrigens. Accedit, quod *κατᾴδειν*, ubi occurrit, sensum habet incantandi, carminibus placandi veluti Jov. Trag. 39 et Philopseud. 31. Itaque suspicio mihi subnata est *κατᾴδων* vitiosum esse et simplex verbum *ᾄδων* hic esse reponendum; cui suspicioni favet, quod iam initio huius dialogi Croesus queritur: *ἐνίοτε δὲ καὶ ᾄδων ἐπιταράττει ἡμῶν τὰς οἰμωγάς*, D. Mort. XXII 2 *ἐλάλει παρὰ τὸν πλοῦν τῶν ἐπιβατῶν ἁπάντων καταγελῶν καὶ ἐπισκώπτων καὶ μόνος ᾄδων οἰμωζόντων ἐκείνων.*

In fine huius dialogi legimus: *πρέποι γὰρ ἂν ταῖς τοιαύταις οἰμωγαῖς ἐπᾳδόμενον.* Vitium tralaticium hunc quoque locum obsidet; *δή* in *ἄν* mutatum fecit ut *πρέπον* in *πρέποι* abierit. Scribendum igitur est: *πρέπον γὰρ δὴ κτλ.*

XXVIII 4. *καὶ τιτρώσκει τὸν ἵππον ὑπὸ θυμοῦ καὶ σφοδρότητος ἑαυτὸν διαπείραντα.* Hoc vero nemo credet, sed mecum postulabit *διαπείροντα.*

Quod in eodem dialogo c 5 nonnulli codd. post ὁ δέ γε Ὀροίτης addunt ὁ ἰδιώτης, id facile interpolari potuit ab aliquo memori notissimi illius Polycratis proditoris Ὀροίτου τοῦ σατράπου (Cf. Char. 14) Equidem nondum Fritzschio assentiri possum, cui certum deliberatumque est, totum locum sic debere emendari: ἠγανάκτει δ'ὅμως ὁμότιμος ὢν τοῖς ἄλλοις (ΒΟΔ τῶν ἄλλων; cf. Cob. V. L. pg. 115) καὶ ἀπηξίου ἰδιώτης κατιέναι· ὁ δέ γε Ὀροίτης ὁ ἱππεύς κτλ.

XXIX 2 φέρουσα ἐς τὸ κοινὸν κατέθετο. Nescio an praestet e cod. Vat. 87 κατέθηκε reponere. Cf. Prometh. II 14, Anach. 17, de Luctu 10, Navig. 12.

MENIPPUS SIVE NECYOMANTIA.

C. 1 παῦσαι, μακάριε, τραγῳδῶν καὶ λέγε οὑτωσί πως ἁπλῶς καταβὰς ἀπὸ τῶν ἰαμβείων. Memor eorum, quae disputavit Cobetus V. L. pg. 297, hoc quoque loco valde suspectum mihi est ἁπλῶς, quod, quin delendum sit, vix dubito.

C. 4. ὁ δέ τις ἔμπαλιν ἀγαθὸν εἶναι καὶ τὸν πλοῦτον αὐτὸν ἀπεφαίνετο. Bekkerus et Fritzschius cum tribus libris αὐτόν omittunt. Nuper Sakorraphus (Mnem 1893 pg. 277) in αὐτόν ΑΥ ΘΝ (αὖ θεόν) latere suspicatus est. Quodsi compararis D. Mort. XIII 5 ἄρτι δὲ ἐς τὰς πράξεις καὶ τὸν πλοῦτον· καὶ γὰρ αὖ καὶ τοῦτον (pro τοῦτο Schwartzius) ἀγαθὸν ἡγεῖτο εἶναι, de veritate huius correctionis mecum fortasse dubitabis. Schwartzius nostro loco activam formam ἀπέφαινε commendavit coll. Icar. 9 οἱ δὲ ἔμπαλιν πολλούς τε αὐτοὺς ἀπέφαινον, sed nisi egregie fallor ἀποφαίνειν cum Infin. iunctum apud Lucianum non occurrit. Cf. e. g. Nigrin. 14, 16, Hermot. 50, de Morte Pereg. 23; itaque mediam formam h. l. servaverim. Apparet me non magis probare, quod Icar. 8 παμπόλλους τινὲς εἶναι τοὺς κόσμους ἀπεφαίνοντο ab eodem viro docto activa forma reponitur cum hac adnotatione: „discrimen est inter ἀπο-

φαίνεσθαι pronuntiare et ἀποφαίνειν demonstrare, quod huic loco magis convenit, cf. infra c 9 Recte contra se habet c 7. μηδὲν ὡς εἰκάζοντας ἀποφαίνεσθαι." Imo τινὲς — ἀπεφαίνοντο („wie c 8 seine Meinung aussprechen" recte Sbtius) opponitur ἕτερος δέ τις ἐδόξαζε; non igitur temere haec mutanda sunt. Est vero locus, ubi medium male se habet Philopseud. 4 (init.) ἀποφαίνονται τὰς πατρίδας ἐκ τῶν τοιούτων, sed iamdudum e Marc. 434 ab Hartmanno et nuper denuo a Sakorrapho ἀποφαίνοντες receptum est.

C. 9. βόθρον τε ὠρυξάμεθα — καὶ — ἐσφάξαμεν (pro κατεσφ. Fritzschius) — καὶ ἐσπείσαμεν. Suspicari quispiam possit propter sequentium verborum activas formas ὠρύξαμεν esse praeferendum, sed necessarium non est, nam modo activa forma huius verbi invenitur ut Char. 22 βόθρον τινὰ ὀρύξαντες, de Morte Per. 21 βόθρον ὀρύττων, modo media Philopseud. 14 βόθρον τε ὀρυξάμενος. Sed quamquam seriores omnino ad media verborum propendent, non tamen obliviscendum est (ut Schwartzius ad Vit. Auct 2 observat) proclives esse scribas ad formas activas et medias stultissime permiscendas.

CHARON SIVE CONTEMPLANTES.

C. 3. init. Herwerdenus miratur Jacobitium et Fritzschium edidisse: κελεύετε τὴν ὀθόνην στεῖλαι neque e duobus libris συστεῖλαι. Sed et Ver. Hist. I 6 iterum simplex verbum legimus nec differt Homericum ἱστία στέλλειν Odyss. III 11; XVI 353.

Deinde in verbis καὶ ἐξευρίσκω τὴν ἱκανὴν σκοπήν aut legendum erit τινὰ ἱκανὴν σκοπήν aut τὴν ἱκανωτάτην σκοπήν.

C. 11. ἐπιβουλαὶ καὶ λῃστήρια καὶ ἐπιορκίαι καὶ φόνοι καὶ δεσμὰ καὶ πλοῦς μακρὸς καὶ ἐμπορίαι καὶ δουλεῖαι κτλ. Fritzschius: „πλοῦς μακρός libri omnes neque id erat mutandum." Facere vero non possum, quin cum Herwerdeno

exspectem πλοῖ μακροί. Quod praeterea idem vir. cl. postulat δεσμοί pro δεσμά, citans Cob. Mnem VII pg. 74 (N. L. pg. 561 sq.), id quamvis foret ex usu veterum Atticorum, in Luciano tamen dubio obnoxium esse existimo. Certe Philopseud. 2 eodem modo Προμηθέως δεσμά legitur, quum veteres δεσμόν scripsissent.

C 12. Corrigo πολλήν μοι λέγεις, ὦ Κροῖσε (τὴν) πενίαν cf. de Merc. Cond. 28, pro Imagg. 1, 16 et alibi sexcenties.

C 17. εἰ μάθοι ὅτι ἡ μὲν ἕξει τέλος αὐτῷ, ὁ δὲ ἄρτι ἐπιθεὶς τὸν ὄροφον ἄπεισι, τῷ κληρονόμῳ καταλιπὼν ἀπολαύειν αὐτῆς, αὐτὸς μηδὲ δειπνήσας ὁ ἄθλιος ἐν αὐτῇ. Fritzschius e nonnullis codd., qui αὐτὸς δὲ οὐδὲ δειπνήσας exhibent, scribit: αὐτὸς δὲ οὐδὲ δειπνήσει; at non ferendum esse αὐτῷ — ὁ δέ — αὐτός de una eademque persona, olim recte perspexit Hartmannus, qui proposuit τέλος, αὐτὸς δέ — quod mihi perplacet, modo sequens αὐτός omittatur Quantopere susque deque habeat Lucianus μηδέ et οὐδέ, non opus est dicere. Ceterum apte conferri potest c 20 huius libri ἀλλ' ἀνάγκη τὸν μὲν γυμνὸν οἴχεσθαι, τὴν οἰκίαν δέ κτέ, ubi Schwartzius recte (αὐ)τὸν μέν emendavit, quum dominus ipse opponatur aedibus et ceteris bonis; similis h. l. est oppositio adhibita illa Hartmanni correctione.

De Sacrificiis.

C. 2 (extr.). Apud deos omnia venalia sunt: εἰκάζειν δὲ χρὴ πολλὰ εἶναι καὶ ἀλεκτρυόνος καὶ στεφάνου καὶ λιβανωτοῦ μόνου παρ' αὐτοῖς ὤνια. Mirationem movet additum μόνου post λιβανωτοῦ, quod sincerum esse vix credere possum Collato c. 12: ὁ δέ τις λιβανωτὸν ἢ πόπανον (sc. diis sacrificat), nostro quoque loco καὶ ποπάνου olim fuisse scriptum pro certo dicere ausim; quid enim mirum librarios vocem paulo minus vulgarem corrupisse?

C. 12. θέμενοι δὲ βωμοὺς καὶ προρρήσεις καὶ περιρραντήρια

προσάγουσι τὰς θυσίας. Male in hoc contextu inter βωμούς et περιρραντήρια, res concretas, quae dicuntur, προρρήσεις res abstracta inserta est. Fortasse initium c. 13 καὶ τὸ μὲν πρόγραμμά φησι κτλ. causa fuit huius interpolationis.

C. 14. διηγουμένων ὡς ἄρα ὑπὸ τῶν πολεμίων καὶ τῶν γιγάντων τὴν ἐπανάστασιν οἱ θεοὶ φοβηθέντες ἧκον ἐς Αἴγυπτον ὡς δὴ ἐνταῦθα λησόμενοι τοὺς πολεμίους. Displicet, quod sine ulla necessitate parvo intervallo sese excipiunt ὑπὸ τῶν πολεμίων et τοὺς πολεμίους; deinde, quod hostes illi a Gigantibus non diversi sunt (cf. Prometh. II 20), denique, quod gravissimum est, quod constructio male se habet: φοβηθέντες τὴν ἐπανάστασιν ὑπὸ τῶν πολεμίων Graece dici nequit. Nullus dubito, quin expulsis verbis ὑπὸ τῶν πολεμίων καί scribendum sit διηγουμένων ὡς ἄρα τῶν γιγάντων τὴν ἐπανάστασιν οἱ θεοὶ φοβηθέντες κτλ. De soloeco λησόμενοι cf. Cob. V. L. pg. 138

Vitarum Auctio

C. 16. οὐχ ὁρᾷς τὸν Ἄνουβιν ἐν Αἰγύπτῳ ὅσος; Sermo est de forma et externa deorum specie, non de eorum magnitudine; hinc corrige οἷος.

C. 19. ἐν δὲ πλέον οἶδεν αὐτῶν, παρ' ὅσον ἀσεβέστερος (δυσσεβ. e libris aliquot Fritzschius) τυγχάνει. Videbis apud Lucianum verbo τυγχάνειν plerumque additum participium τοῦ εἶναι, raro omissum; additum est: D Mort. X 4, XVI 5, XXIII 1, Vit. Auct. 27, Catapl. 22, 25, Scyth 4, Ver. Hist. I 30, Abdic. 12, de Saltat. 64, Eunuch. 1, 8, pro Imagg. 5, 14, Toxar. 20, Paras. 3, Philopseud. 22, Pseudolog. 5, D. Meretr. V 2; omissum vidi Abdic. 15, Eunuch. 2. Etiam ἅτε modo addito, modo omisso participio legitur; caret participio v. c. de Sacrif. 3, Necyom. 6, Ver. Hist. II 38; participium habet v. c. D. D. XI 1, XII 1, Scyth 2, Icar. 22.

C. 23. *πεπωκότος τοῦ ἐλλεβόρου* malim pro *τὸν ἐλλέβορον;* genitivus statim praecedit· Cf. Fritzschius ad Bis Accus. 5 *ἔπιεν τοῦ κωνείου*: „Cobetus V. L. pg. 162 *τὸ κώνειον.* Atticis usitatior sane accusativus, attamen libri etiam in Fugit. 11 *πιομένους τοῦ κωνείου*". Cf. etiam Ver. Hist II 7, Abdic. 32, Q. Hist. Conscr. 25, Saturn 17, 22, 32.

PISCATOR SIVE REVIVISCENTES.

C. 2. *τὴν γλῶτταν αὐτὴν ἔτι πολὺ πρότερον ἀποτετμήσθω.* „Praefero *ἐκτετμήσθω*". Schwartzius Invito ei tradita lectio erit servanda, nam etiam Toxar. 11 legimus: *οὐ τὴν δεξιὰν ὥσπερ ὑμεῖς, ἀλλὰ τὴν γλῶτταν ἀποτμηθῆναι* et c. 35 *εἰ ἀποτμηθείης τὴν γλῶτταν.*

C 12. *εἶτα ἑώρων γύναιόν τι οὐχ ἁπλοϊκόν κτλ.* Fritzschius pro *οὐδέ — οὐδέ, οὔτε — οὔτε* emendavit; deinde eum offenderunt verba *καὶ τὰ ῥήματα πάντα ἑταιρικά,* pro quibus *καὶ ἐντρίμματα πάντα τὰ ἑταιρικά* audacter in textum recepit „nam *τὰ ῥήματα* servare non licet, nisi verbo, quod tum male deest, audacter suppleto, veluti: *καὶ φῦκος· (ἦν δὲ) καὶ τὰ ῥήματα πάντα ἑταιρικά.*" Prudentius Sbtius edidit: *καὶ τὰ ῥήματα πάνυ* (e Marc. 434 et Vat. 90) *ἑταιρικά,* quae lectio valde mihi arridet, modo *ἦν* suppleatur.

Praeterea contuli quae Cob. V. L. pg. 139 disputavit de verbo *κομμοῦσθαι,* nonnunquam confuso cum *κοσμεῖσθαι* ut Bis Acc. 31 (qui locus cum nostro admodum conspirat), de Merc. Cond. 36 et· suspicio mihi subnata est hic quoque pro *κοσμουμένη — κομμουμένη* esse substituendum, nam *ἡ κομμωτικὴ κακοῦργός τέ ἐστι καὶ ἀπατηλὴ καὶ ἀγεννὴς καὶ ἀνελεύθερος, σχήμασι καὶ χρώμασι καὶ λειότητι καὶ ἐσθήσει ἀπατῶσα, ὥστε ποιεῖν, ἀλλότριον κάλλος ἐφελκομένους, τοῦ οἰκείου ἀμελεῖν,* quae Platonis verba in Gorgia 465 B optime nostrum locum illustrare possunt.

Etiam ita demum recte sibi opponuntur verba *γύναιον οὐχ ἀπλοϊκόν* et *πρόδηλος δὲ ἦν κομμουμένη*. Nescio an etiam adv. Ind. 23. *καὶ ψιμύθιον καὶ μαστίχη καὶ φῦκος, οἷς ὑμεῖς κοσμεῖσθε* huic quoque loco melius conveniat *κομμοῦσθε*.

C. 14 *Παπαῖ τί Πλάτων καὶ Χρύσιππος ἄνω καὶ Ἀριστοτέλης καὶ οἱ ἄλλοι πάντες, αὐτὰ δὴ τὰ κεφάλαιά μου τῶν μαθημάτων;* Haec ubi legi, incidi in suspicionem legendum esse *τῶν μαθητῶν* pro *τῶν μαθημάτων*, memor Eupolidis versus: *ὅτιπερ κεφάλαιον τῶν κάτωθεν ἤγαγες*. Cf. Herodot. 8. *αὐτὸ δὴ τὸ κεφάλαιον ἁπάντων Μακεδόνων* neque opinionem meam labefactant verba, quae leguntur D. Mort XX 2 *οἷά σοι τῶν ῥαψῳδιῶν τὰ κεφάλαια χαμαὶ ἔρριπται ἄγνωστα καὶ ἄμορφα, κόνις πάντα καὶ λῆρος πολὺς, ἀμενηνὰ ὡς ἀληθῶς κάρηνα*, etiamsi hunc dialogum Luciano adiudicaris, quem Jacobsius ad Porsoni Advers. pg. 288 ut Luciano „minime dignum" malo imitatori tribuebat, quam opinionem oppugnat Fritzschius „ubique enim eum referre Luciani ingenium." Prudenter tamen addit: „sic quoque, ut recte Lehmannus, nonnulla a Luciano vel melius expolita vel diligentius composita velis vel accuratius expensa." Equidem ingenue fateor mihi hunc dialogum, omni elegantia, omni inventione destitutum, merum catalogum personarum in aliis dialogis et diversis libris occurrentium, salibus et facetiis vere Lucianeis omnino egentem, admodum esse suspectum. Certe qui, ut Rothsteinio videtur, non sine causa dubitaverunt de Menippi s. Necyomantiae genuitate, utqui ex Icaromenippo aliisque scriptis Lucianeis non nimis bene sit expressus, etiam confidentius hunc dialogum in dubium vocare poterunt.

Forsitan afferat quispiam Pseudolog 2. *οὕτω σύ γε παῖδας ἀπέφηνας ἐν πάσῃ βδελυρίᾳ τὸν Ὀροδοικίδην καὶ τὸν Λυ-*

κάμβην καὶ τὸν Βούπαλιν, τοὺς ἐκείνων ἰάμβους. At hic quoque extrema verba ipsi scriptori deberi nego; paulo eruditiores homines sciebant hos esse illos a Simonide, Archilocho, Hipponacte acerbis iambis petitos.

C. 20. *φιλαλήθης τε γὰρ καὶ φιλόκαλος· καὶ φιλαπλοϊκὸς καὶ ὅσα τῷ φιλεῖσθαι ξυγγενῆ.* Necessario post *γάρ* (*εἰμι*) inserendum arbitror, ut capitis initio legitur: *μισαλαζών εἰμι.* Insuper Paetzoltius haesit in passivo *φιλεῖσθαι*, quod scioli scribentis errore e *φιλεῖν ἐστι* contractum censet.

CATAPLUS.

C. 1. *ὁ δὲ καλὸς ἡμιν κἀγαθὸς νεκροπομπὸς ὥσπερ τις ἄλλος καὶ αὐτὸς τὸ τῆς ἄνω Λήθης ὕδωρ πεπωκώς κτέ.* Fritzschius locum sic edidit: *ὥσπερ καὶ αὐτὸς εἴ τις ἄλλος ἄνω τὸ τῆς Λήθης ὕδωρ πεπωκώς*, verba *εἴ τις ἄλλος ἄνω* ad Sisyphum referens „qui post mortem commeatu impretato fidem Plutoni datam fefellerat ad inferos redire oblitus," praeterea *ὥσπερ* grammatice cum participio cohaerere necessarium putans, hoc quidem probans A. Baario [1]), qui verba *τις ἄλλος καὶ αὐτός* pro interpolatione habet, inde orta, quod, quum *ὥσπερ πεπωκώς* arcte cohaereant, hoc alii non intelligentes *τις ἄλλος*, deinde necessario etiam *καὶ αὐτός* supplerent, pro qua opinione et variam lectionem *εἴπερ* pro *ὥσπερ* facere putat et verborum confusionem in cod. Florent. (Φ) *ὥσπερ τι καὶ αὐτὸς ἄνω ἄλλο τὸ τῆς.* Etiam ex F. recipere mavult *τὸ τῆς ἄνω Λήθης* quam ex aliis libris *ἄνω τὸ τῆς Λ.*, sententiam hoc modo explicans: „Hermes hat, als hätte er einen Schluck aus der oberen Lethe (Nektar Vgl. c. 2. *τὸ νέκταρ ἄφθονον*, Icar. 27 *οἱ δὲ θεοὶ — τοῦ νέκταρος μεθύσκονται*), gethan, auf die Rückkehr zu uns vergessen." Sed haec explicatio ideo displicet,

---

1) Wiener Studien 1885.

quod tum Charon et c. 1 et c. 2 eandem fere causam affert Mercurii morae: c. 1 nectar bibendo ad nos redire oblitus est, c. 2 (ubi novam causam eum afferre oportet: ἀλλ' ἐγὼ οἶδα τὴν αἰτίαν): laeta omnia in coelo et ambrosia ibi multa et nectar abundans; nec obliviscendum est Mercurium c. 1 in superis quidem, sed in terra, non in coelo versari dici.

Denique Mnem 1893 pg. 274 Sakorraphus memor confusionis vocum ἄλλος et ἀνος (ἄνθρωπος), ut D. D. IV 1 procul dubio recte ἄνθρωπος pro ἄλλος rescripsit, eundem errorem hic quoque commissum esse existimat. Sententia quae tunc oritur: ὥσπερ τις ἄνθρωπος καὶ αὐτὸς ἄνω τὸ τῆς Λήθης ὕδωρ πεπωκώς ita explicari potest: „dixeris eum et ipsum, quasi mortalis esset, oblivionis aquam in superis bibisse et ad nos redire oblitum esse. Haec loci emendatio et explicatio huc usque prae ceteris mihi placet nec tamen dissimulo articulum ante Λήθης a Luciani more abhorrere. Cf. D. Mort. XIII 6 τὸ Λήθης ὕδωρ; idem XXIII 2, (de Luctu 5), sed contra omnes libros deleri nequit.

C. 11. Corrigo πιθόμενος pro πειθόμενος; in fine capitis vix opus est ἐνεχθέν cum Schwartzio sollicitare, ἐγχυθέν requirente. Cf. Asin. 47 τὸ προσενεχθὲν ἔπιον.

C. 12. ἔν με πνίγει μάλιστα, ὦ Κλωθοῖ — malim (ἀπο)-πνίγει. Inter tantam exemplorum copiam duo tantum inveniuntur, ubi simplex verbum legitur, hoc loco et Toxar. 19 εὐθὺς οὖν βοᾶν πνιγόμενον, sed in libro pessime a librariis habito non dubito compositum verbum reponere, quum et paulo post c. 20 legatur ἀποπνιγόμενον.

De Mercede Conductis.

C. 2. ἐδόκουν μοι τὰ πολλὰ οὗτοι ὑπ' αἰσχύνης ἐπικρύπτεσθαι καὶ ἑκόντες εἶναι ἐπιλανθάνεσθαι. Valde mihi arridet ἀπο-

κρύπτεσθαι rescribere, quod propter sequens ἐπιλ. corrumpi potuit. Fere ad amussim convenit Hermot 75 ἢ εἰδότες ἀποκρύπτονται ὑπὸ δειλίας καὶ αἰσχύνης (Hermot 33 ἢ οὐκ εἰδότες ἢ κρυπτόμενοι τἀληθὲς nescio an verum sit (ἀπο)-κρυπτόμενοι). Cf. praeterea Hermot. 16, 21, Scyth. 10, Anach. 17, D Meretr. V 1, Dem. Enc 7.

Obiter corrigam minutias quasdam: c. 7 τὸ ἀληθέστατον μέν pro καὶ ἀ. μέν; c. 15 ὁρῶντες (σ') ἐκπεπληγμένον; paulo post malim κατά τινα τάξιν pro πρός τ. τ. (Cf. Iud. Voc. 5, Alex. 19, Hermot. 43); c. 14 ὑπὲρ τὸν πλούσιον pro ὑπὲρ τοῦ πλουσίου coll. c. 26 ὑπὲρ σὲ τὴν λοπάδα παρεστάναι; c. 25 λείπειν pro λιπεῖν.

C. 33. Describit cinaedum quendam, cui Χελιδόνιον nomen, eumque esse dicit οὐ χελιδόνα μὰ Δί', ἀλλὰ γῦπά τινα περιτετιλμένον τοῦ πώγωνος τὰ πτερά. Quamdiu autem vultures barba carebunt, ego verba τοῦ πώγωνος hic inepte interpolata ducam. E praecendentibus: κίναιδόν τινα τῶν πεπιττωμένων τὰ σκέλη καὶ τὸν πώγωνα περιεξυρημένων verba molesta orta in textum se insinuasse videntur.

C. 37. De χιτώνιον male pro χιτωνίσκον dicto egit Herwerdenus ad Somn. 13 (ubi idem vocabulum corruptum putat). Aliud me in extremo hoc capite advertit: ἕωθεν δὲ τρισκαίδεκα ἥκουσι κομίζοντες, ἕκαστος ὡς πολλὰ εἶπε καὶ ὡς ὑπέμνησε καὶ ὡς ἐπιτραπεὶς τὸ κάλλιον (Herwerd. κάλλιστον) ἐπελέξατο διεξιών. Confero Ver. Hist. II 47 ἡμεῖς δὲ μόλις ἐξενηξάμεθα, τὰ ὅπλα ἕκαστος καὶ εἴ τι ἄλλο οἷός τε ἦν ἁρπασάμενοι, quo loco Hartmannus utitur ad corrigendum c. 44 huius libri ἔλαφοι τέτταρες τρεῖς ἑκάστη πόδας ἔχουσαι (pro ἔχουσα). Plurimi praeterea sunt loci, quos afferre possum, unde apparet pluralem participii post singularem ἕκαστος esse necessarium. Notavi hos: D. Mort. X 1, XI 1 (ἑκάτερος — ὄντες), Catapl 9, quocum conferri

potest Jov. Trag. 9, ubi ἕλκοντας recte rescripsit Schwartzius et D Meretr. VII 1. Deinde Hermot. 25, 49, Jov. Trag. 22, de Calumnia 15, Philopseud. 7, Saturn. 8, 15, 22, Dem. Enc. 33, de Syria Dea 29, 48 (in quo libro corrigendum est c. 53 ἕκαστος φυλάξαντες pro ἕκαστοι et idem vitium c. 60 extr.), Amor 17. Peccatum est Amor. 9, 36, 47 sed in pseudo-Lucianeo opere, quale hoc est, apud me non prorsus constat de corrigendi necessitate. Tandem citabo Char. 5 in fine μίαν ἑκάτερος ἄκραν ἀπολαβόμενος καθεζώμεθα. Cob. V. L. pg. 316 et Fritzschius ex aliquot libris correxerunt ἐπιλαβόμενοι; praeterea ille ἄκρας flagitat, sed Fritzschius iure, ut mihi videtur: „ego Atticos ἐπιλαμβάνεσθαί τινος ita tantum video dixisse, ut id quidem sit: rem manu prehendere; sane mallem Cobetus ita iudicasset, veteres Atticos potius activo usuros fuisse ἄκραν ἐπιλαβόντες, at seriores Attici omnino ad media verborum propendent" e. q s. Comparari potest Bis Accus. 9 καὶ τὸ ἀπ' ἐκείνου τὸ ὑπὸ τῇ ἀκροπόλει σπήλαιον τοῦτο ἀπολαβόμενος κτέ.; hic quoque Fritzschius, ut par est, rescribit ἐπιλαβόμενος, Cobetus vero V. L. pg. 266 καταλαβόμενος, qui igitur sibi non constat.

Activa verbi forma (ἐπιλαμβάνειν) legitur Jov. Trag. 11 et Conviv. 8.

C. 41. ζητοῦσιν ὅπως ἄρδην ἀπολέσωσι. Credo futurum esse reponendum. Cf. in hoc ipso libro c. 7, 8, 34, 39; praeterea Cob. V. L. pg. 96 sq.

PRO LAPSU INTER SALUTANDUM.

C. 8. τὸ γὰρ σώους ἐπανήξειν ἀπὸ τῆς μάχης ἤδη μοι ὑπέσχηται. Formas σῶος, σῶον, σώους Luciano abiudicandas esse censeo; semel iterumque vera forma emersit veluti Phalar. II 4 διαπεραιωθῆναι παρέσχεν αὐτοῖς καὶ σῶς ἐς τὴν Κίρραν κατᾶραι. Dindorfius corrigere solet (e. g. Abdic. 5)

nec nostrum locum intactum reliquit; quod tamen σῷς rescribit non intelligo; potuit fortasse σῶς, sed hic plurali non est locus, quum non ἡμῖν sed μοι sequatur; hinc unice verum puto σῶν. Cf. de Sacrif. 2 σῶν ἐπανελθεῖν.

C. 13. Quae in hoc capite leguntur: formulae quaedam in libro mandatorum (qui qualis fuerit nemo hodie pro certo scire videtur), Luciani cognitio Latini sermonis, de haec et alia quaedam accurate tractata sunt post alios ab Adolpho Thimme [1]).

De sequenti capite cf. Madvigius Advers. Critic. in Scriptores Graecos pg. 685 et Rothsteinius, qui verissime docet scribendum esse καὶ στρατιωτῶν πλῆθος (καὶ προσαγορευόντ)ων, οἱ μὲν κτλ. Concedendum enim est verba οἱ μὲν προωθοῦντες optime ad milites referri posse, non vero posse sequentia, quae necessario pertinent ad homines salutatum venientes.

HERMOTIMUS.

C. 3. Non possum probare, quod Herwerdenus in verbis ἐν τῇ ὑπωρείᾳ κάτω ἔτι vocabulum κάτω expungere vult. Cf Char 5 παπαῖ, κάτω ἔτι ἐσμὲν ἐν ὑπωρείᾳ τοῦ οὐρανοῦ.

Facere non possum, quin citem Rothsteinii verba pg. 101: „Videndum ne hac ratione scriptor potius quam librarii corrigatur, nam si quis hanc persequi et Luciani orationem recidendo inutilia castigare velit, multo etiam plura et meliora proferri poterunt, quam quae nunc proferri solent. Ubique enim in Luciani scriptis apparet sermonis non abundantia aut ubertas, sed luxuria et loquacitas vix tolerabilis, qua maxime minui horum opusculorum elegantia mihi vide-

---

[1]) Quaestionum Lucianearum capita quatuor (Goettingae 1884) pg. 24: quaenam ratio intercesserit inter Lucianum et Romanos exponitur.

tur." Est vero (si mihi licet *τὰ συνήθη ταῦτα καὶ ἐκ τριόδου* verba adhibere) est vero modus in rebus et si Rothsteinio Batavi saepe paulo proniores videntur ad expellenda verba inutilia, quae scriptoris elegantiam minuunt, quaeque maiore minoreve iure pro emblematis possunt haberi, ipse Rothsteinius nonnunquam nimis videri potest inclinare ad servanda in textu verba, quae nullo modo defendi et servari possunt; veluti Promoth. I 6 retineri postulat *ὡς δῆθεν τὰ ἀέρια λεπτολογουμένους*, quae optimo iure eiecit Schwartzius, nec sine causa post pauca idem Schwartzius et Sbtius damnaverunt *ἀπὸ τοῦ ὀξυτάτου ἐς τὸ βαρύτατον*, invito Rothsteinio. Sana ratio in talibus unica dux esse debet, quam Sakorraphus ducem secutus Mnem. 1893 pg. 276 sq. locos aliquot Lucianeos interpolationibus liberavit.

C. 35. *Αἰθίοπας δέ γε ἢ τὴν Γέλωνος γυναῖκα τί ἔδει καλεῖν ἐκ Συρακουσῶν ἐπὶ τον λόγον*; Si sapis, mecum eicies verba *ἐκ Συρακουσῶν*, quibus nunquam aut manifestius aut insulsius emblema in textum irrepsit. Praeterquam quod haec verba etiam ad *Αἰθίοπας* referenda erunt, nunquam proverbialis locutio sermonis abundantia et lactea ubertate, sed semper brevitate splendet.

C. 49. *εἰ δὲ καὶ εὕροιμεν ἄλλως κατά τινα ἀγαθὴν τύχην περιπεσόντες αὐτῷ, οὐχ ἕξομεν εἰδέναι.* Si grammaticus esset Lucianus, qui ipse sua verba interpretaretur, non melius hoc officio fungi potuisset, quam nunc in hac sententia factum est; quid enim interest inter *ἄλλως* et *κατά τινα ἀγαθὴν τύχην*? Nihil, credo. Equidem valde suspecta habeo verba *κατά τινα ἀγαθὴν τύχην*, quamquam procul dubio alii ea mordicus tenere volent. Sed cur hic *ἄλλως* tale habet additamentum nec vero alliis locis veluti D. D. XIX 1, XX 3, D. Meretr. VIII 1, ut ceteros omittam?

Tandem confero D. D. XXI ἢ ἐθελήσω, φησίν, ἐγὼ μὲν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ σειρὰν καθήσω, ὑμεῖς δὲ ἀποκρεμασθέντες κατασπᾶν βιάσεσθέ με, ἀλλὰ μάτην πονήσετε, οὐ γὰρ ἂν καθελκύσαιτε (ita Schwartzius pro οὐ γὰρ δὴ καθελκύσετε), ad quem locum accipe, quae Sakorraphus disputavit: Aliquot libri omittunt ἀλλά, quos secuti sunt Fritzschius et Sbtius. Vide tamen ne ex ἄλλως corruptum sit, cui glossema esset adscriptum μάτην. Sedulo enim magistelli adverbium ἄλλως interpretantur Cf. Timaei lexic. οὐκ ἄλλως προνοεῖ· οὐ μάτην, ibique Ruhnken."

Leve vitium est c. 45 καὶ ἢν μὴ τοῦτον εὕρωμεν pro τοῦτο, quum sermo sit de pulchro, pulcherrimo homine; c. 59 ἐς αὐτὸν τὸν κύρτον in ipsam nassam scribendum est pro ἐς τὸν αὐτὸν κύρτον in eandem nassam, quod hic nihil est; paulo post delenda censeo verba τὸν οἶνον; quid sit τὸ αὖθις ὁμολογούμενον (ita optime Bekkerus pro αὐθομολογούμενον) καὶ γνώριμον et quid τὸ ἀνομοιότατον καὶ ἀμφισβητήσιμον ἀφανὲς ὂν explicatur proxima sententia; c. 68 requiro γυμνασάμενόν τε πρότερον pro γε.

C. 71 (extr.) οὕτως ἀγανακτοῦσιν ὡς — καὶ ὀλίγου δέουσι κτλ. In dissertatione, quam scripsit Paulus Schulze [1]) inter sententias controversas hanc quoque posuit: „suas leges in consecutivis et finalibus particulis adhibendis Lucianus sibi constituit." De finalibus nunc non loquor, sed in utendis coniunctionibus consecutivis Lucianus, quantum video, veteres Atticos secutus est, nisi quod longe crebrius quam illi ὡς c. Infin. pro ὥστε usurpat. Duo vel potius unum tantum exemplum esse videtur, ubi a iusto harum coniunctionum usu descivit. (Dem. Enc.

---

[1]) 1883 Quae ratio intercedat inter Lucianum et comicos Graecorum poetas.

27 ἐντυχὼν δὲ οὕτω τὴν γνώμην διετέθην, ὡς οὐδέν τι — ἀναλέξομαι in censum non venit, nam liber manifesto Luciano abiudicandus est, ut hodie inter omnes constat). Quis tamen credat Lucianum, quum ubique recte construat οὕτως — ὡς c. Inf. aut οὕτως — ὥστε c. Indic. aut Inf., hoc solo loco prava constructione usum esse? Vix dubito quin hic ὥστε pro ὡς rescribendum sit.

C. 86. ὅτι με παραφερόμενον ὑπὸ θολεροῦ τινος χειμάρρου καὶ τραχέος, ἐπιδιδόντα ἐμαυτὸν καὶ κατὰ ῥοῦν συρρέοντα τῷ ὕδατι ἀνέσπασας ἐπιστάς κτλ. Pro παραφερόμενον unus codex (U) παραφυρόμενον exhibet, in qua forma depravata latere mihi videtur genuina lectio παρασυρόμενον. Cf. Jov. Trag 22 τὰ δ' ἄλλα κατὰ ῥοῦν φέρεται ὡς ἂν τύχῃ ἕκαστον παρασυρόμενα, de Calumnia 10 ἀνατέτραπται καὶ παρασέσυρται, Nigrin 16 παρασύρεται δὲ τῆς ψυχῆς ὑπο-(Hemsterhusius, Fritzschius ἐπι-)κλυζομένης πανταχόθεν αἰδὼς καὶ ἀρετὴ καὶ δικαιοσύνη, ad quae verba Hemsterhusius adnotavit: „verbum παρασύρειν fluviorum est et torrentium, qui aquis adauctis praecipitantes violento impetu obstantia secum rapiunt."

HERODOTUS SIVE AËTION.

C. 2. Lego πυθόμενοι pro πυνθανόμενοι.

C. 5. ἑτέρωθι δὲ τῆς εἰκόνος ἄλλοι Ἔρωτες παίζουσιν [ἐν] τοῖς ὅπλοις τοῦ Ἀλεξάνδρου. Delendam censeo praepositionem. Reitzius ad hunc locum et Hemsterhusius ad D. Mort. XXIII 3 nihil probant, nam loci ab illis allati aut nihil faciunt ad rem, aut et ipsi corrupti iamdudum correcti sunt. παίζουσιν ἐν τοῖς ὅπλοις, me iudice, nihil aliud potest significare quam „ludunt armati", sed quod requiritur: „ludunt armis," recte exprimitur per: παίζουσι τοῖς ὅπλοις.

ZEUXIS SIVE ANTIOCHUS.

C. 4 τὸ δὲ γυναικεῖον ὅσον αὐτῆς ἠρέμα ἐπεγήγερται καὶ

ἐπ' ἀγκῶνός ἐστιν. Cobetus V. L. pg. 243 *ἐγήγερται* coniecit, quod non magis, quam illud h.l. intelligo. Recte opinor, vertit interpres Reitzianus: „quantum autem illius muliebre est, sensim attollitur nixum cubito;" hinc suspicor *ἐπῆρται* esse scribendum. Saepius confunduntur *ἐπεγείρειν, ἐγείρειν, ἐπαίρειν.* Cf. Paetzoltius ad pro Imagg. 13 et Schwartzius ad de Astrol. 5. *ἐπεγείρῃ* in *ἐπαίρῃ* et *ἤγειραν* in *ἦειραν* corrigentes.

HARMONIDES

C. 2. *ὅντινα δ' ἂν οἱ προὔχοντες ἐπαινέσωσι, πιστεύουσι μὴ ἂν ἀλόγως ἐπαινεθῆναι τοῦτον.* Ordo verborum confusus videtur, ut *τοῦτον* ante *πιστεύουσι* sit transponendum. Post pauca recte Schwartzius *ἐπαινοῦσι* praesens pro futuro flagitat, quod vel propter futuri formam reponendum videtur; paulo ante enim *fut. medii* legitur, quo quin solo Lucianus usus fuerit, vix est quod dubitemus. Etenim Schwidopius [1]) observavit activam huius verbi formam in futuro ter tantum legi. Praeter nostrum locum, qui vitium suscepit ideoque non valet, legitur Charid. 15 *τῶν ἐπαινεσόντων,* qui locus ut in opere pseudo-Lucianeo [2]) non magis in censum venit; restat igitur unus tantum Paras. 1 *ἐπαινέσειν.* Hic vero liber a Bekkero Luciano abiudicatus etiam admodum suspectus est v. d. A. Joost[3]), cuius suspicionis argumenta collegit; nec nimis Parasiti facetiae placent Rothsteinio pg. 35, neque tamen ita eas comparatas esse censet, ut Luciano tribui non possint.

---

[1]) Observationum Lucianearum specimen I pg. 13, in programmate gymnasii Kniphov. Regimonti 1848.

[2]) Ueber Lucians Charidemus von Dr. Ernst Ziegeler, in progammate gymnasii oppidi Hameln.

[3]) De Luciano Φιλομήρῳ scripsit A Joost, in programmate progymnasii oppidi Lötzen.

Cum Joostio facit v. d. J. Georg Brambs [1]), qui pg. 10: „Zu seinen (i. e. Joostii) Beobachtungen will ich noch hinzufügen, dasz in derselben wie in andern unächten der häufige Gebrauch der Endung *αι* 3 ps. sg. opt. Aor. auffällig ist." (ego quinquies in Parasito inveni c. 8, 12, 50, 51, 59, ter in Hermotimo, cuius libri ambitus multo maior est). Mihi quoque valde suspectus est hic de Parasito liber, ut postea apparebit.

Scytha sive Hospes.

C. 2. *εἴτε ἀτμούς τινας πονηροὺς ὁ οἶνος σβέσας τῇ ὀδμῇ εἴτε ἄλλο τι πλέον εἰδὼς ὁ ἥρως [ὁ Τόξαρις]* (exp. Herw.). *συνεβούλευσεν.* Ut constructio sibi constet, rescribo *ἔσβεσε* pro *σβέσας*.

---

[1]) Ueber Citate und Reminiszenzen aus Dichtern bei Lucian und einigen späteren Schrifstellern. Programm der K. b. Studienanstalt Eichstätt 1888.

CAPUT II.

Quomodo Historia Conscribenda.

C. 4. Illis temporibus, quibus unusquisque historiae operam dabat, Lucianus et ipse partes suas agere voluit, *ὡς*, inquit, *μὴ μόνος ἄφωνος εἴην ἐν οὕτω πολυφώνῳ τῷ καιρῷ μηδ' ὥσπερ κωμικὸν δορυφόρημα κεχηνὼς σιωπῇ παραφεροίμην*. Hic dubitatio me subit num *καιρός* recte *πολύφωνος* possit appellari; nihil sane aptius cum adiectivo illo coniungi potest quam *χορῷ* quod ut reponamus suadet et imago, e comoedia desumpta, qua in sequentibus utitur et verba praecedentia: *ὡς μὴ μόνος ἀργεῖν δοκοίην ἐν τοσούτοις ἐργαζομένοις*; apparet enim vocabulum requiri quod multitudinem (chorum) personarum (historicorum) denotat.

C. 13. *τοιοῦτοι τῶν συγγραφόντων οἱ πολλοί εἰσι τὸ τήμερον καὶ τὸ ἴδιον καὶ τὸ χρειῶδες, ὅτι ἂν ἐκ τῆς ἱστορίας ἐλπίσωσι, θεραπεύοντες, οὓς μισεῖσθαι καλῶς εἶχεν κτλ.* Locus a multis tentatus. Madvigius *καίτοι δέον* (pro *καὶ τὸ ἴδιον*) — *θεραπεύεσθαι* (ita libri praeter edd. et Marc. 434), *οὐ μισεῖσθαι καλῶς εἶχε* (cum consuli deberet etiam utilitati). Aperte confiteor me Madvigii rationem nullo modo assequi posse; inprimis non intelligo, quo modo qui *κόλακες πρόδηλοι καὶ ἄτεχνοι* sunt, eos in odio esse non oporteat. *θεραπεύοντες* servaverim et facile credo infin. *θεραπεύεσθαι* per errorem e proximo *μισεῖσθαι* esse natum.

Neque placet mihi cum Sbtio scribere κατ' ἰδίαν (Jeder für sich in seinem eigenen Interesse), sed suspicor verum esse καὶ τὸ ἴδιον χρειῶδες, expuncto altero καὶ τό, quod perperam repetitum est. Cf. c. 9 τὸ ἴδιον ἐντελές. Lenis et simplex est correctio, sententia plana: etiam propriae uti litati, quam ex historia sperant, inservientes.

C. 16. τοῦτο μόνον ᾐτιασάμην αὐτοῦ, ὅτι οὕτως ἐπέγραψε τὰ βιβλία τραγικώτερον ἢ κατὰ τὴν τῶν συγγραμμάτων τύχην· Καλλιμόρφου ἰατροῦ τῆς τῶν κοντοφόρων ἕκτης ἱστοριῶν Παρθικῶν. Quid significant verba τραγικώτερον ἢ κατὰ τὴν τῶν συγγραμμάτων τύχην? Audi interpretem apud Reitzium: „Stilo magis quam pro fortuna librorum tragico," quae verba et ipsa indigent interprete, quamquam verbum verbo redditum est. τύχη est „Beschaffenheit" sec. Sbtium. Immo, ait Fritzschius, „vox τύχη in malam partem accipi debet neque εὐτυχίαν designat, sed ἀτυχίαν infortunium, malum eventum (vernacule, das Mislingen)." Sed nihil neque audivimus neque postea audimus de infortunio aut malo horum librorum eventu. Tantummodo scriptor dicit commentarios sine arte, pedestri humilique sermone esse conscriptos, nec tamen prorsus inutiles esse, sed scriptori eleganti historiaeque perito multum prodesse posse. Laus quaedam ei tribuitur, ut etiam elucet verbis: τοῦτο μόνον ᾐτιασάμην αὐτοῦ. Τύχην vix intelligo et credo cum Schaefero ad Dionys. de comp. verb. pg. 61 vocem esse corruptam et τέχνην esse reponendum, ut verborum sensus sit: titulo usus est magnificentiore quam pro librorum compositione parum artificiosa.

Quae sequuntur verba καὶ ὑπεγέγραπτο ἑκάστῃ ὁ ἀριθμός paene faciunt ut suspiceris Lucianum hunc saltem librum legisse, non tantum audivisse, etsi in universum verum est quod scripsit Erwin Rohde in praeclaro libro

„der Griechische Roman und seine Vorläufer" pg. 305: „Die Historiker scheinen ebenfalls die alte Sitte, ihre Werke vorzulesen, lange Zeit beibehalten zu haben. So kennt Lucian die Werke der zahlreichen Geschichtsschreiber des Partherkrieges des Verus, die er in seiner Schrift de Hist. Conscrib. verspottet sämmtlich nur aus Vorlesungen, welche dieselben in Ionien und Achaia veranstaltet hatten; man lese nur darauf hin c. 14 ff. jener Schrift." Etiam c 32 profitetur se aliquem ex his libris legisse.

C. 24. Recte Sbtius ex editionibus edidit *τὸ δὲ καὶ περὶ τοὺς τόπους αὐτοὺς ψεύδεσθαι, οὐ παρασάγγας μόνον ἀλλὰ καὶ σταθμοὺς ὅλους*, male vero Fritzschius duce Bekkero antiquam codicum lectionem *παρὰ τοὺς τόπους* revocavit comparans c. 20 *τοῦτο μὲν καὶ παρὰ τὰ γεγραμμένα ἐν ταῖς τῶν ἀρχόντων ἐπιστολαῖς ἐψεύσατο*. Hi loci dissimillimi sunt quod si quis non sentit vereor ut verbis ei planum fiat. Hoc est quod Lucianus vult: licet fortasse ferenda sint vitia in operis elocutione vel dispositione, intolerabile tamen est si quis in ipsis locis enarrandis describendisque magnos committit errores *Ψεύδεσθαι περὶ τοὺς τόπους* opponitur *τῷ ἁμαρτάνειν ἐν ἑρμηνείᾳ*, unde satis apparet *παρὰ τ. τ.* ferri non posse; quin, num omnino bene Graece ita dicatur, vehementer dubito.

Postquam correxi c. 27 *μηδὲ τοῖς οὐκ ἰδοῦσιν ἐξηγοῖτο* pro *εἰδόσιν* et c. 28 *ἐν (ταύτῃ) τῇ γῇ στρατευομένου* transeo ad c. 29 *ἐπεὶ οὐκ ἂν ἡμεῖς οὕτω θαυμαστὸν συγγραφέα νῦν εἴχομεν καὶ ἀπὸ χειρὸς αὐτὸν μεγάλα καὶ λαμπρὰ — ἐργασάμενον*.

Herwerdenus, cui suspecta est locutio *ἀπὸ χειρός* nusquam alibi lecta, cum Fritzschio *καὶ ταῦτα* necessarium existimans, locum hoc modo legere vult: *καὶ ταῦτ' ἔργα*

χειρὸς αὐτὸν — ἐργασάμενον. Equidem cogitavi de: καὶ (ταῦτ'?) αὐτοχειρίᾳ μεγάλα καὶ λαμπρὰ — ἐργασάμενον. Phalar. I 4 etiam legitur αὐτοχειρίᾳ. Cf. Herod. III 13.

Eiecto emblemate c. 31 ἀπὸ τῆς νίκης, invito Fritzschio, deinde c 51 quaestio oritur sitne cum eodem viro docto ἀθόλῳ (quae vulgata lectio est) an cum Sbtio ἀδόλῳ (e Vatic. 78 receptum) scribendum Apud me constat ἀθόλῳ praeferendum esse. „Ein convexer Spiegel, der das Bild treu (ἄδολος) hell und scharf, aber in verkleinertem Massstabe wiedergiebt" Sbtius explicat. Sed ita bis idem dicitur, nam quid interest inter speculum ἄδολον et speculum quod ὁποίας ἂν δέξηται τὰς μορφὰς τῶν ἔργων τοιαῦτα καὶ δείκνυσιν αὐτά? Accedit quod facilius ἄθολος in ἄδολος abire potuit quam contra.

Verae Historiae I.

C. 6 ἐπιτρέψαντες οὖν τῷ πνεύματι καὶ παραδόντες ἑαυτούς — verba παραδόντες ἑαυτούς glossema esse arbitror duplici de causa: et quod ordo verborum arguit interpolationem (quis enim non scripsisset ἐπιτρέψαντες οὖν καὶ παραδ. ἑ. τ. π.?) et quod, quid intersit inter ἐπιτρέπειν et παραδιδόναι ἑαυτόν, non facile dictu est. De intransitivo ἐπιτρέπειν cf Hermot 28 τῇ τύχῃ ἐπιτρέπειν, Platon de legg. VII 802 B. ταῖς δ' ἡδοναῖς καὶ ἐπιθυμίαις μὴ ἐπιτρέποντας ἀλλ' ἤ τισιν ὀλίγοις.

C. 8. ἀπὸ δὲ τῶν δακτύλων ἄκρων ἐξεφύοντο αὐταῖς οἱ κλάδοι καὶ μεστοὶ ἦσαν βοτρύων. Parum abest quin credam Lucianum dedisse οἱ κλάδοι, οἳ μεστοὶ ἦσαν, nam ad nostrum non pertinent, quae de Asini scriptore dixit Rohdeus: „Was ein gewandter Stilist in Vorder- und Nachsatz, in Beziehung und organische Verbindung gesetzt haben würde, wird hier lose auf einander gepackt; das einzige καί muss oft in ermüdender Wiederkehr die

reiche Mannichfaltigkeit der griechischen Coniunctionen ersetzen."

Obiter corrigam c. 10 (τῇ) ὀγδόῃ (idem vitium II 1), c. 12 (ἀπο)στεῖλαι, c. 20 ἐσβαλεῖν pro ἐσβάλλειν, ut properem ad locum, ubi nomen proprium perridicule corruptum est c. 13. Legimus: *ἐλέγοντο δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ὑπὲρ τὴν Καππαδοκίαν ἀστέρων ἥξειν Στρουθοβάλανοι μὲν ἑπτακισμύριοι, Ἱππογέρανοι δὲ πεντακισχίλιοι.* Hic quaenam sint stellae supra Cappadociam, nemo unquam dixit aut dicere potuit. Comparandi sunt loci quales sunt: c 16 *τῶν συμμάχων, οὓς ἀπὸ τοῦ Γαλαξίου μετεπέπεμπτο* (pro *μετεπέμπετο* iure Naberus), c. 18 *ἡγεῖτο δὲ αὐτῶν ὁ ἐκ τοῦ Ζωδιακοῦ τοξότης*, c. 28, 29, ubi Ἑωσφόρος, Ὑάδες, Πλειάδες memorantur, nec ulla iam superesse poterit dubitatio, quin in voce *Καππαδοκίαν* sideris nomen lateat. Quid vero facilius ita corrumpi potuisse credamus quam *Κασσιέπειαν*? Ita demum sententia Luciani ingenium spirat et cum ceteris eiusdem generis iocis prorsus convenit Praeterquam quod haec coniectura ipsa se commendat, etiam accedit auctoritas praeceptoris mei, vi cli Naber, cui eam debeo.

C. 29 *τοὺς μὲν μικροὺς καὶ ὥσπερ εἰπεῖν πένητας, ὀλίγους δὲ τῶν μεγάλων καὶ δυνατῶν πάνυ λαμπροὺς καὶ περιφανεῖς κτλ.* Cum optimis libris Bekkerus *εἰπεῖν* expunxit probante Mehlero, qui praeterea recte observavit *τοὺς μὲν μικρούς* et *ὀλίγους δὲ τῶν μεγάλων καὶ δυνατῶν* non bene sibi opponi; sed de leni et certa emendatione desperat. Medelam tamen, qua locum sanem, mihi invenisse videor. Scribendum erit: *πλείστους μὲν μικροὺς καὶ ὥσπερ πένητας, ὀλίγους δὲ [τῶν μεγάλων καὶ δυνατῶν] πάνυ λαμπροὺς καὶ περιφανεῖς.* Ipsa sententia flagitat post verba *λύχνους δὲ πολλούς* divisionem illam in *πλείστους* et *ὀλίγους*, quod et ipse sensit Mehlerus, scripsit enim: „necessario dicendum

erat in civitate Lychnopolitarum permagnum fuisse tenuiorum, perexiguum vero divitum potentiorumque civium numerum." Lychni illi quodammodo hominum partes agunt et civitatem efficiunt; itaque etiam in ea pauperes et divites inveniuntur. Aptis atque propriis verbis scriptor expressit lychnorum naturam igneam et humanam, nam et ignes sunt *λαμπροί* et *περιφανεῖς* et homines ita dici possunt. Profecto homo fuit acutus qui hoc non intellexit et de suo addidit ineptum *τῶν μεγάλων καὶ δυνατῶν*, quasi et alii cives essent praeter lychnos illos. Practerea conferri potest Timon. 25, ubi etiam *ὀλίγοι* et *πλεῖστοι* sibi opponuntur: *τοιγαροῦν, ἅτε τῶν μὲν ἀγαθῶν ὀλίγων ὄντων, πονηρῶν δὲ πλείστων [ἐν ταῖς πόλεσι τὸ πᾶν ἐπεχόντων], ῥᾷον ἐς τοὺς τοιούτους ἐμπίπτω περιιὼν καὶ σαγηνεύομαι πρὸς αὐτῶν*, ubi uncis inclusa verba delevit Wichmannus assentiente Mehlero; minus recte olim Hartmannus *πλείστων* expunxit.

C. 31. *ἦν δὲ ἰδεῖν καὶ ὄρνεα τὰ θαλάττια κτέ.* Cod. Marc. 434 omittit *τά*, servat Mehlerus; verum videtur: *ὄρνε' ἄττα θαλάττια.*

C. 42. *αἱ δὲ λοιπαὶ πρύμναν κρουσάμενοι, ἔφευγον — ἔφυγον* recte Bekkerus et Dindorfius. De verbis *πρύμναν κρουσάμενοι* comparo Thucyd I 50 *καὶ οἱ Κορίνθιοι ἐξαπίνης πρύμναν ἐκρούοντο*, ad quem locum scholiasta: *πρύμναν κρούεσθαί ἐστι τὸ κατ' ὀλίγον ἀναχωρεῖν μὴ στρέψαντα τὸ πλοῖον.* Equidem nullus dubito quin Thucydides scripserit *πρύμναν (ἀν)εκρούοντο*, quae mutatio est levissima, quin nulla, sed scholiasta [1]) iam aliter legit, unde apparet vitium, si quidem vitium est, esse antiquissimum. Cur

---

[1]) Steinius ad Herodot. VIII 84 hoc scholion citans nescio quo iure legit *πρύμναν ἀνακρούεσθαι.*

ita credam docebunt hi loci: Thucyd. VII 38 et 40; utroque loco legitur *ἀνακρούεσθαι*, etsi abest *πρύμναν*; Herodot. VIII 84 *οἱ μὲν δὴ ἄλλοι* Ἕλληνες *ἐπὶ πρύμνην ἀνεκρούοντο*, ubi Bekkerus, probante Herwerdeno, *ἐπί* iure expunxit; deinde in fine eiusdem capitis: *ὦ δαιμόνιοι, μέχρι κόσου ἔτι πρύμνην ἀνακρούσεσθε*; denique Aristoph. Vesp 399

ἤν πως πρύμνην ἀνακρούσηται πληγεὶς ταῖς εἰρεσιώναις

et Platon Phileb 13 D, qui translate *λόγον ἀνακρούεσθαι* dixit.

De Luciano dubitari potest; attamen potius crediderim eum quoque cum veteribus Atticis *πρύμναν (ἀνα)κρουσάμενοι* scripsisse. Quod legitur Nigrin. 8 *παῦε ὦ θαυμάσιε μικρὸν ἀνακρουόμενος*, huc non facit. Iamdudum Fritzschius plaudentibus omnibus *μακρόν* pro *μικρόν* rescripsit et locum recte explicat: „quum *ἀνακρούεσθαι* dici soleant citharoedi praeludentes, hic *παῦε μακρὸν ἀνακρουόμενος* significat: desine longo prooemio uti."

VERAE HISTORIAE II.

C. 1. *τῇ δωδεκάτῃ δὲ μόλις ἐνενοήσαμεν, ὡς εἰ μή τις χανόντος αὐτοῦ ὑποστηρίξειε τοὺς γομφίους — κινδυνεύσομεν — ἀπολέσθαι, οὕτω δὴ — ἐπεσκευάζομεν*. Locus turbatus aliqua ex parte iam a Mehlero correctus est, transponi iubente *μόλις* ante *χανόντος*. Praeterea pro *ἐνενοήσαμεν* requiro *ἐννοήσαντες*; quis enim ignorat *οὕτω, οὕτω δή, εἶτα, ἔπειτα* participium sequi solere?

C. 2. *ἐπιμένοντος δὲ τοῦ πνεύματος φέρειν οὐ δυνάμενοι τοιόνδε τι ἐπενοήσαμεν (ὁ δὲ τὴν γνώμην ἀποφηνάμενος ἦν Σκίνθαρος)*. Nunquam vidi *φέρειν* intransitive ita usurpatum ut significet *ἀνέχεσθαι* nec hoc recte ita dici credo. Sententiae optime conveniret *πλεῖν* (pro *φέρειν*). Pro sequente *ἐπενοήσαμεν* malim e. Marc. 434 *ἐποιήσαμεν*,

nam Scintharus erat qui ἐπενόησε, si quidem recte iudico ἐπινοεῖν et τὴν γνώμην ἀποφαίνεσθαι hic fere esse synonyma.

Ἐν παρόδῳ pauca parvula vitia eximo: c. 27 pro πλανηθήσεσθαι scribo πλανήσεσθαι, ut recte legitur in de Morte Per. 16. (Cf. Schwartzius ad Asin. 40 κοιμήσεσθαι reponens pro κοιμηθήσεσθαι); c. 29 expungo τὴν νῆσον et c. 35 νήσῳ; c. 31 corrigo στενὴ (ἦν); c 37 e Marc. 434 recipio κἀκεῖνοι pro ἐκεῖνοι. Paulo diutius immorari lubet versu Antimacheo, qui citatur c. 42:

τοῖσιν δ' ὑλήεντα διὰ πλόον ἐρχομένοισι.

Ὑλήεντα πλόον a poeta dici posse non nego; ἰέναι διὰ ὑλήεντα πλόον vero intelligi nequit; ῥόον si legeretur, sententia minus foret absurda. Verum quidem est versum e contextu esse avulsum, sed non video quomodo unquam ex his verbis bona sententia elici possit. Ex uno versu de poeta iudicium ferre periculosum est, sed paene suspiceris Antimachum ineptum fuisse poetam.

Ziegelerus [1]) de hoc loco agens inter alia dicit haec: „Lucianus autem de industria non respiciens totius loci Antimachei nexum, cum versum illius ita afferat ut Antimachus navigationem per silvas factam indicare videatur, aperte irridet quaesitum dicendi genus Antimachi, praefracte et obscure loquentis; qua de re plane consentit Lucianus cum Dionysio Halic. (de comp. verb. vol. V pg. 150 R.)" e. q. s. Obscurum sane et ineptum versum citavit Lucianus; nullam tamen video apertam poetae irrisionem. Potius credo eum hunc versum ideo tantum landasse, quod verba ὑλήεντα πλόον cum narratione sua

---

[1]) De Luciano, poetarum iudice et imitatore, Ernestus Ziegeler, Goettingae 1872 (dissertatio) pg. 10 sq.

optime convenirent, ceterum non attendisse ad pravam dictionem neque id consilium habuisse, quod putat Ziegelerus.

De Antimacho conferri potest E. Rohde, der Gr. Roman u. s. Vorl pg 72 sq.

C. 44. *τρεῖς ἑκάστη πόδας ἔχουσαι, δύο μὲν τοὺς ὄπισθεν, οἱ δὲ πρόσω εἰς ἕνα συνεπεφύκεσαν.* Pro *ὄπισθεν* Mehlerus cum Bekkero *ὀπίσω* scribere mavult; contra ego praefero *ὄπισθεν* servare, sed *πρόσω* mutare in *ἔμπροσθεν* collato Zeux. 4, ubi legimus *οἱ δὲ πόδες οἱ ἔμπροσθεν.*

C. 46. *κατῴκητο δὲ αὕτη ὑπὸ γυναικῶν, ὡς ἐνομίζομεν* — *αὕτη* recte abest a Marciano. Pro *ἐνομίζομεν* Mehlerus suspicatus est *ἐγνωρίζομεν* esse legendum, quum mirum vocabulum sit *ἐνομίζομεν* de re, quam suis oculis videre et suis auribus poterant audire. Mihi non ita videtur. Insula, ad quam navem appulerant, habitabatur a mulieribus, ut putabamus nimirum, nam ita se gestabant et ornatae erant, revera tamen, ut postea apparebat, monstra quaedem erant marina, quae in aquam mutari poterant, neque crura humana, sed asininas ungulas habebant. Unice aptum hic mihi videtur verbum *νομίζειν*. Comparari potest c. 34 de insomniis: *ἀλλ' οἱ μὲν* (sc. *οἱ ὄνειροι*) *μακροί τε ἦσαν καὶ μαλακοὶ καὶ καλοὶ καὶ εὐειδεῖς, οἱ δὲ σκληροὶ καὶ μικροὶ καὶ ἄμορφοι καὶ οἱ μὲν χρύσεοι, ὡς ἐδόκουν, οἱ δὲ ταπεινοί τε καὶ εὐτελεῖς,* in quibus verbis Mehlerus recte expunxit *καὶ καλοί*, transposuit *σκληροί* et *μικροί*, et *χρυσοῖ* correxit, quamquam hodie sunt qui existiment, Lucianum modo *χρύσεος*, modo *χρυσοῦς* dixisse, veluti Brambsius pg. 6: „Auf Rechnung seiner Zeit sind zu setzen die Unterlassung der Kontraktion bei den Adiectiven auf — *εος*, wie *χρύσεοι* Ver. Hist. II 34, *χρύσεα* Navig. 39" Sed talis inconstantia vix ferenda videtur nec possum mihi persuadere Lucianum v. c. Ver. Hist. I 31

ὀστέα scripsisse, paulo post vero c. 36 τὰ ὀστᾶ (idem II 46). Sed ut redeam ad id quod demonstrare volebam, nonne hoc loco ὡς ἐδόκουν legitur eodem modo, quo supra ὡς ἐνομίζομεν? nam et hoc suis oculis videre poterant.

TYRANNICIDA.

C. 4. οὐ γὰρ ὥσπερ ἄλλοις τισὶν ἤδη συνέβη πολλάκις, ἁπλῆν καὶ ἡμεῖς τυραννίδα καὶ μίαν δουλείαν ὑπεμείναμεν, οὐδὲ ἑνὸς ὑπηνέγκαμεν ἐπιθυμίαν δεσπότου, ἀλλὰ μόνοι τῶν πώποτε τὰ ὅμοια δυστυχησάντων δύο ἀνθ' ἑνὸς τυράννους εἴχομεν καὶ πρὸς διττὰ οἱ δυστυχεῖς ἀδικήματα διῃρούμεθα. In his verbis, si bene attendas, ridiculum et stultum invenies emblema. Aliae civitates saepe unius tyranni imperium tulerunt, sed nos soli omnium, qui unquam simili calamitate oppressi sunt, duos pro uno habuimus tyrannos. Quis non videt τὰ ὅμοια δυστυχησάντων adversa fronte pugnare et cum praegressis et cum sequentibus? Quomodo enim soli hoc tulerunt, si idem aliis accidit? Non semel post οἱ τότε, οἱ νῦν, οἱ πώποτε librarii participium addiderunt Forte fortuna ex ipso Luciano exemplum afferre possum Legitur Q. Hist. Conscr. 63 χρὴ τοίνυν καὶ τὴν ἱστορίαν οὕτω γράφεσθαι σὺν τῷ ἀληθεῖ μᾶλλον πρὸς τὴν μέλλουσαν ἐλπίδα ἤπερ σὺν κολακείᾳ πρὸς τὸ ἡδὺ τοῖς νῦν ἐπαινουμένοις, ubi iure Sbtius delet partic. post τοῖς νῦν.

C. 15. μὴ γὰρ οὕτω ῥᾷστον μηδὲ εὐχερὲς ὑπολάβητε εἶναι τὸ πρᾶγμα. Superlativus non videtur sollicitandus coll. Vit. Auct. 11. Semel iterumque legitur πάνυ ῥᾷστον: Fug. 14, Q. Hist. Conscr. 5, ad quem locum Herwerdenus: „malim ῥᾴδιον." Sed coll. de Saltat. 4 πάνυ ἀνομοιοτάτην dubitat utrum ipsius Luciani an librariorum culpa ita scriptum sit. Ad hunc abusum etiam pertinent Piscat 27 παμπονηρότατος (ubi fortasse ex parte librorum παμπόνηρος praeferendum erit, invito Fritzschio), Jov. Trag. 1 παγ-

κάκιστα, Icar. 17 παντάπασι παγγέλοιος, de Calumnia 5 ἐς ὑπερβολὴν πάγκαλον, de Paras. 39 μάλιστα χρησιμώτατοι, Asin. 1 φιλαργυρώτατος δεινῶς, 54 φιλτάτων λίαν, Charid. 2 λίαν μνημονικωτάτους, Navig. 40 ὅτι μάλιστα ἐπὶ πλεῖστον (Paetzoltius alterutrum opprimendum esse censet), Ver. Hist I 7 οἴνου ῥέοντι (ποταμῷ sc.) ὁμοιοτάτῳ μάλιστα οἷόσπερ ὁ Χῖός ἐστιν. Locus varie tentatus; Bekkerus et Dindorfius ὁμοιότατον poscunt (idem iam Solanus), secludit praeterea μάλιστα Schwartzius. Paetzoltius ὅμοιον τοιούτῳ μάλιστα, Herwerdenus ὅμοιον μάλιστα, quem secutus est Mehlerus. Bis vidi μᾶλλον cum comparativo iunctum: in de Paras. 10 μᾶλλον φανερώτερον, Gall. 13 ἔνθα σιδηροφορεῖν μᾶλλον ἢ χρυσοφορεῖν ἄμεινον ἦν. Sbtius verba μᾶλλον ἢ χρυσοφορεῖν tamquam emblema e textu eicit; quod etiamsi facere nolueris, distat tamen hic duplicis comparativi usus a loco illo ex Parasito citato. Corruptus est locus in de Domo 11 ὁπότε καὶ τὰ ἄνθη πρόεισιν οὐ ποθεινότερα μ ᾶ λ λ ο ν ἀλλὰ καὶ ὡς ἂν εἴποι τις ἀνθηρότερα καὶ τὰς βαφὰς καθαρώτερα; sine mora corrigo μόνον.

C. 20. ἢ μή τι ὡς γέροντος ὑπερφρονεῖ καὶ τῇ βραδυτῆτι κολάζειν δέον καὶ παρατείνει μοι τὸν φόνον καὶ μακροτέραν μοι τὴν σφαγὴν ποιεῖ, ἢ delet Schwartzius. Madvigius postulat: κολάζει εἰς δέον, sed vix credibile est hoc de semet ipso dixisse tyrannum neque verba τῇ βραδυτῆτι dirimi possunt a verbo παρατείνειν. Si quid mutandum est, hoc maxime mihi arridet: μή τι ὡς γέροντος ὑπερφρονεῖ κολάζειν δέον καὶ τῇ βραδυτῆτι παρατείνει μοι τὸν φόνον, nam in vulgata nullam video causam, cur tanta emphasi καί—καί dicendum sit. Ceterum verba postrema καὶ μακροτέραν μοι τὴν σφαγὴν ποιεῖ si quis tamquam praecedentium verborum καὶ παρατείνει μοι τὸν φόνον periphrasin e textu expellere maluerit, ego non obstabo.

ABDICATUS.

C. 9. *καὶ τὸν νόμον ἄρτι μὲν συνοργίζεσθαι, μετὰ μικρὸν δὲ λύεσθαι καὶ πάλιν ὁμοίως ἰσχυρὸν εἶναι.* Possis suspicari *κᾆτα* esse reponendum pro *καί*; fieri etiam potest ut gravius sit peccatum et olim scriptum fuerit: *καὶ τὸν νόμον ἄρτι μὲν συνοργίζεσθαι, ἄρτι δὲ λύεσθαι καὶ μετὰ μικρὸν πάλιν ὁμοίως ἰσχυρὸν εἶναι.* (Cf. c. 10 *οὐδὲ ἄρτι μὲν λύεσθαι, ἄρτι δὲ κυρίους εἶναι τοὺς νόμους*). Prorsus convenit Toxar. 13 *ἄρτι μὲν ὀργῇ, ἄρτι δὲ κολακείᾳ καὶ μετὰ μικρὸν ὑπεροψίᾳ.* Tenendum enim est quod scripsit Sakorraphus (Mnem. '93 pg. 275) ad D. D. XXV 1 *ἀφηνιάζουσιν εὐθὺς — ἄρτι μὲν ἐπὶ τὰ λαιὰ, μετ' ὀλίγον δὲ ἐπὶ τὰ δεξιὰ — καὶ ἄνω καὶ κάτω καὶ ὅλως ἔνθα ἐβούλοντο αὐτοί*: „suspectum est istud *μετ' ὀλίγον δέ*, cuius loco fortassis Lucianus dederat *ἄρτι δέ*, uti solet. Cf. Prometh. (II) 6, Nigrin. 4, Prometh. (VI) 17 D. D. 11, 1, Necyom. 4, de Merc. Cond. 16, de Morte Peregr. 19, Philopseud. 5, D. Meretr. 12, 1. Eodem modo corrigendi sunt loci Necyom. 16 *ἄρτι μὲν Κρέοντας, ἐνίοτε δὲ Πριάμους γιγνομένους*, Bis Accus. 1 *ἄρτι μὲν αὐτῷ ἐν Δελφοῖς — μετ' ὀλίγον δὲ ἐς Κολοφῶνα.*" Quodsi vere haec observavit, apparet alteram meam correctionem solam veram esse posse. At nondum prorsus persuasit mihi v. d.

C. 10. *ὅταν δὲ μὴ κατ' ἀνάγκην, ἀλλ' ἐπ' ἐξουσίας αὐτός τις ἀφ' ἑαυτοῦ καὶ δοκιμάσας ἀναλάβῃ, τίς ἔτι μηχανὴ μεταβάλλεσθαι ἢ τίς ἔτι χρῆσις ὑπόλοιπος τοῦ νόμου;* Nemone hucusque in haec verba offendit neque criticorum neque interpretum? At procul dubio peccatum est et quidem, ut mea opinio fert, describentium socordia, qua quaedam exciderunt. Vide ne haec olim scripta fuerint: *ὅταν δὲ μὴ κατ' ἀνάγκην, ἀλλ' ἐπ' ἐξουσίας αὐτός τις ἐφ'* (pro *ἀφ'*) *ἑαυτοῦ δοκιμάσας καὶ* (*ἀνακηρύξῃ*) *καὶ ἀναλάβῃ, τίς ἔτι*

μηχανὴ (μὴ οὐχὶ ἀεὶ) μεταβάλλεσθαι κτέ. Si non haec ipsa, at utique his simillima supplenda erunt. De αὐτὸς ἐφ' ἑαυτοῦ cf. de Saltat. 63, de Calumnia 31; de μηχανὴ μὴ οὐχί pro Imagg. 24, de Merc. Cond. 5, de Domo 17, Diss. cum Hesiodo 7. Contrarium vero est si infinitivus sine negatione sequitur ut Piscat. 4 οὐδὲ μία μηχανὴ τὸ διαφυγεῖν; servat τό Fritzschius cum plerisque libris, delet Sbtius. Necyom. 2 idem legitur etiam addito articulo, sed Imagg 1 τίς ἔσται μηχανὴ ἀποστῆναι αὐτῆς.

C 16. τοῦτο γὰρ μείζω οἶμαι ποιεῖν τὴν ἐμὴν εὐεργεσίαν, ὃς οὔτε υἱὸς ὢν τότε — ὅμως οὐ περιεῖδον, ἀλλ' ἐθελοντὴς — ἧκον. Et hic aliquid intercidisse videtur. Credo ὅμως (νοσοῦντα) οὐ περιεῖδον scribendo locum esse sanatum.

Minutiae sunt: c. 18 (ἐξ)ελαύνει (cf. c. 15 et Pseudolog. 21), c. 19 οὐ πολεμοῦσι pro οὐ πολεμεῖ et paulo post εὐεργέτην [εἰς] τὰ τηλικαῦτα.

PHALARIS I.

C. 7. ὧν ἐνίων καὶ λόγους εἶναι βραχεῖς ἐν τῷ ἱερῷ ὑμῶν ἀποκειμένους, ἀγάλματα καὶ ἀναθήματα τῷ Πυθίῳ. Suntne brevia illa dicta seposita? Credat qui possit, at ego scribo ἀνακειμένους, quod confirmatur scholio ad hunc locum: τούτου (sc. Periandri) καὶ ἀπόφθεγμα ἐν Δελφοῖς ἀνέκειτο τοῦτο· θυμοῦ κράτει· ἦσαν δὲ καὶ τῶν ἄλλων σοφῶν ἀποφθέγματα, ἃ καὶ αὐτὰ Πυθοῖ ἀνέκειτο.

Extrema verba mire sunt addita. Si genuina sunt, ὥσπερ (tamquam) erit subintelligendum.

C 8. τὸν γὰρ ἅπαξ εἰς τὰ τοιαῦτα ἐμπεσεῖν ἠναγκασμένον ὅμοιον χρὴ τῇ ὑποθέσει καὶ αὐτὸν εἶναι ἢ φειδόμενον τῶν πλησίον ἀπολωλέναι. Schwartzius adnotat: „Recte Seagerus τὸν αὐτόν nisi quod malim καὶ ἀεὶ τὸν αὐτόν." Sed cur post ὅμοιον — τὸν αὐτόν addendum sit, plane non video. Multo lenius simulque veri similius locum corrigi

posse censeo scribendo: ὅμοιον χρὴ τῇ ὑποθέσει μεῖναι ἢ αὐτὸν φειδόμενον — ἀπολωλέναι. Vide quam facile haec verba in illa corrumpi potuerint.

C. 9. αὖθις γὰρ ὑμᾶς, ὦ Δελφοὶ συμβούλους καλῶ, πότερον ἄμεινόν ἐστιν (εἶναι apud Reitzium et Marc. 434) ἀδίκως ἀποθανεῖν ἢ ἀδίκως σώζειν τὸν ἐπιβεβουλευκότα. Turbas in hac sententia datas esse Madvigius vidit dicens „Nulla est in his contrariorum comparatio, nam qui ipse iniuste perit, simul insidiantem servat (in quo nulla iniuria est). Scriptum fuerat fere sic: ἢ αὐτὸν ἀδίκως ἀποθανεῖν ἢ δικαίως τὸν ἐπιβεβουλευκότα." Haud vero absurdum erit credere responsum pressius et accuratius interrogationem secutum esse, ut olim hoc fere modo fuerit scriptum: πότερον ἄμεινόν ἐστι ζῆν ἢ ἀδίκως ἀποθανεῖν σώζοντα τὸν ἐπιβεβουλευκότα. Intercidente verbo ζῆν altera comparationis pars prior facta est et sententia suppleta repetito ἀδίκως et participio in infinitivum mutato.

PHALARIS II.

C. 6. Delphorum quidam, qui nusquam Siciliam viserat, sed quasi fuisset testis oculatus loquebatur de rebus ibi factis, ab alio arguitur, qui: ὃν ἴσμεν, inquit, οὐδ' ἄχρι τοῦ πλοίου ἀποδεδημηκότα. Velim mihi dicat quispiam, quo usque tandem hic homo venerit aut potius non venerit, qui nunquam „usque ad navem" peregrinatus est. An forte πλοίου corruptum est ex Ἰονίου?

C 13. ἔτι οὐδενὸς ὑπομένοντος (recte Herwerdenus ὑπομενοῦντος) καθιστάναι. Vide ne οὐ exciderit et vera scriptura sit (οὐκ)έτι οὐδενός.

ALEXANDER SIVE PSEUDOMANTIS.

C. 12. καὶ ὁ Πελλαῖος δὲ δράκων προϋπῆρχε καὶ οἴκοι ἐτρέφετο, κατὰ καιρὸν ἐπιφανησόμενος αὐτοῖς καὶ συντραγῳδήσων. Αὐτοῖς Alexander est cum satellitibus; at non

his apparituras erat serpens ille, sed vulgo; hinc parva transpositione scribo: *καὶ αὐτοῖς συντραγῳδήσων.*

C. 16. *τεράστιον ὡς εἰκὸς τὸ πρᾶγμα ἐφαίνετο, ἐκ τοῦ τέως μικροῦ ἑρπετοῦ ἐντὸς ὀλίγων ἡμερῶν τοσοῦτον δράκοντα πεφηνέναι, ἀνθρωπόμορφον καὶ ταῦτα καὶ τιθασόν.* Pro *πεφηνέναι* utpote in re subita et necopinata exspectabam *ἀναπεφηνέναι*; cf. v. c D. Mort. XXVIII 2, Hermot. 27, de Saltat. 7, pro Imagg. 14, Iov. Trag. 3, Philopatr. 18. Ceterum postpositum *καὶ ταῦτα*, quod duobus tantum praeterea locis invenitur: Saturn. 35, Dem. Enc. 47, defenditur a Fritzschio Quaest Luc. pg. 231.

C. 25. *εἶτα θαυμάζεις, εἰ ἐπὶ μέγα ἤρθη τὸ χρηστήριον ὁρῶν τὰς ἐρωτήσεις τῶν προσιόντων συνετὰς καὶ πεπαιδευμένας;* Memor sum Vit. Auct. 12, ubi haud dubie recte Herwerdenus correxit: *ἐγὼ δὲ οὐκ ἐπιτήδειος ἱλαρὸν (οὕτως;) ὠνεῖσθαι βίον.* Ironia, quae nostro loco inest, etiam melius apparebit, si supplemus idem vocabulum: *(οὕτω) συνετὰς κτλ.*

C. 35. *τὴν γὰρ Σελήνην ἔρωτι ἁλῶναι αὐτοῦ καθεύδοντός* (iure ex aliis libris Fritzschius recepit: *αὐτοῦ ἁλῶναι καθεύδοντά*) *ποτε ἰδοῦσαν, ὅπερ αὐτῇ ἔθος, κοιμωμένων ἐρᾶν τῶν καλῶν.* Malim *ὥσπερ αὐτῇ ἔθος.* Etenim Lucianeum est dicere aut *ἔθος ἐστίν* aut *ὥσ(περ) ἔθος ἐστίν*; cf. D. Marin. III 1, Catapl. 4, Jov. Trag. 30, de Domo 20, D Meretr IV 2. Quod legitur Bis Acc. 35 *τοῦτο ἔθος ἐστί*, id iamdudum a Fritzschio correctum est *τούτῳ* rescribente. Cf. eiusdem Quaest. Luc. pg. 195.

C. 51. *ὡς ἐν τοσούτῳ κατὰ σχολὴν λύοιντό τε οἱ χρησμοὶ ἀσφαλῶς καὶ εὑρίσκοιντο οἱ ἑρμηνεῦσαι δυνάμενοι ἕκαστα.* Nisi plurimum fallor, *ἀσφαλῶς* tamquam glossema erit expungendum Vocabulum, quod post *κατὰ σχολήν* misere languet, etiam verborum conexum conturbat.

De Saltatione.

C. 19. ὡς καὶ ὕδατος ὑγρότητα μιμεῖσθαι καὶ πυρὸς ὀξύτητα ἐν τῇ τῆς κινήσεως σφοδρότητι καὶ λέοντος ἀγριότητα κτέ. Verba ἐν τῇ τῆς κινήσεως σφοδότητι fortasse magistri sunt additamentum; discerpunt orationem sine iusta causa. Accedit quod prae ceteris hic libellus scatet interpolationibus; quin ipsa praecedentia verba καὶ μεταβάλλεσθαι e textu abesse debere vere iudicat Herwerdenus.

Postquam c 24 εὐθύς transposui post Μούσας et c. 25 ἐξευρόντες rescripsi pro ἐφευρόντες, disputaturus sum c. 66 de verbis: ἐπεὶ δὲ ἔμαθεν ὅτι ὁ αὐτὸς ὑποκρινεῖται καὶ ὑπορχήσεται τὰ πάντα. Synonyma sunt ὑποκρίνεσθαι et ὀρχεῖσθαι cum accusativo iunctum; cf. quae praecedunt τίνες οἱ ὀρχησόμενοι καὶ ὑποκρινούμενοι τὰ λοιπὰ πρόσωπα (pro προσωπεῖα Cob. V. L. pg. 255 ut tribus versibus ante recte legitur) εἶεν; c. 80 τὰς γὰρ Διὸς γονὰς ὀρχούμενός τις καὶ τὴν τοῦ Κρόνου τεκνοφαγίαν, παρωρχεῖτο [καὶ] (Sbtius om. cum codd. Vatt.) τὰς Θυέστου συμφορὰς τῷ ὁμοίῳ παρηγμένος, qui locus a Sbtio recte explicatur. Denique conferri potest c. 83 ὀρχούμενος γὰρ τὸν Αἴαντα et c. 84 αἰτούντων γὰρ αὖθις τῶν [συ]στασιωτῶν αὐτοῦ (ita Sbtius cum codd Vatt. et Marc. pro αὐτόν) τὸν Αἴαντα ὀρχήσασθαι αὐτοῖς, παραστησάμενος τὸν ὑποκριτὴν ἔφη πρὸς τὸ θέατρον· Ἱκανόν ἐστιν κτλ., quae verba ideo exscripsi, quod sana mihi non videntur. Lepide Herwerdenus ita ea explicat ut significent: „victo (in se) actore, i. e. victa laudis plaususque cupiditate, actoribus propria. Nam παρίστασθαι noto usu dicitur pro καταστρέφεσθαι." Acute inventum num etiam verum sit, vehementer dubito. Innumeri sunt loci apud veteres scriptores ubi legitur παρίστασθαι; dicitur (et prorsus hoc convenit cum propria

verbi significatione) de iis, qui *alios* vi, dolo, promissis ad partes suas trahunt. Reges, oppida, populos *παρίσταμεθα*, de privatis hominibus vix usurpatum invenies. Parum recte igitur *παραστησάμενος τὸν ὑποκριτὴν* eo sensu quo Herwerdenus accepit, dictum foret, simulque perquam obscure; nam ut Latine „in se" ita etiam Graece *ἐν ἑαυτῷ* vel simile quid aegre desideramus. Non minus grave est quod *παρίστασθαι* sensu *τοῦ καταστρέφεσθαι* apud Lucianum nusquam legi. Saepe significat: producere in medium, sistere alqm, veluti: Nigrin. 6, Hermot 45, Q Hist. Conscr. 15, Jov. Trag. 29, Icar. 17, Philopseud. 5, de Domo 19. Nullus igitur dubito, quin verba illa *παραστησάμενος τ. ὑ.* corrupta sint, et quod cod. Υ *παραιτησάμενος* exhibet, ad coniecturam antea ab Herwerdeno prolatam: *παραιτησάμενος τὴν ὑπόκρισιν* erit refugiendum.

Post hanc digressionem ad meum locum revertor. Ostendi et locis probavi quid sit *ὀρχεῖσθαι* c. Acc. Aliud vero est *ὑπορχεῖσθαι*; vide unum exemplum ex hoc ipso libro petitum c. 16 *οἱ μὲν ἐχόρευον, ὑπωρχοῦντο δὲ οἱ ἄριστοι προκριθέντες ἐξ αὐτῶν*. Dubium igitur amplius esse nequit quin nostro loco pro *ὑπορχήσεται — ὀρχήσεται* necessarium sit.

De Astrologia.

C. 8. *καὶ γὰρ τὸ Λιβύων μαντήϊον τὸ Ἄμμωνος, καὶ τοῦτο ἐς τὸν ἠέρα καὶ ἐς τὴν τούτου σοφίαν εὕρητο*; *εὕρητο* est coniectura Koehnii, libri *εἴρητο*, Schwartzius *ἵδρυτο*; an *ἐγήγερτο*? Cf. de Sacrif. 11, Alexand. 10.

C 19 *καὶ νῦν εἰσὶν αἴγειροι* (Phaëthontis sorores sc.) *καὶ τὸ ἤλεκτρον ἐπ' αὐτῷ δάκρυον στάλάουσι*. Quid sit *τὸ ἤλεκτρον δάκρυον σταλᾶν* expiscari non possum Intelligerem: *δακρύουσαι σταλάουσι*. Cf. D. D. XXV 3 *ὥστε ἐκεῖνον μὲν αἱ ἀδελφαὶ θαπτέτωσαν ἐπὶ τῷ Ἠριδανῷ, ἵναπερ ἔπεσεν*

ἐκδιφρευθείς, καὶ αἴγειροι γενέσθωσαν ἐπὶ τῷ πάθει ἤλεκτρον ἐπ' αὐτῷ δακρύουσαι. (Ita locum constituit Schwartzius). Praeterea in de Electro init. Ἠλέκτρου πέρι καὶ ὑμᾶς δηλαδὴ ὁ μῦθος πέπεικεν, αἰγείρους ἐπὶ τῷ Ἠριδανῷ δακρύειν αὐτὸ θρηνούσας τὸν Φαέθοντα, καὶ ἀδελφάς γε εἶναι τὰς αἰγείρους ἐκείνας τοῦ Φαέθοντος, εἶτα ὀδυρομένας τὸ μειράκιον ἀλλαγῆναι ἐς τὰ δένδρα καὶ ἀποστάζειν [ἔτι] (om. Marc. 436) αὐτῶν δάκρυον δῆθεν τὸ ἤλεκτρον. Quam ingrate verbosus hic est Lucianus, quanta loquacitas vere senilis! (Cf. Rothsteinii verba ad Hermot. 3). Hic quoque idem mihi displicet quod in loco illo de Astrologia; ut ibi δακρύουσαι volebam, ita hic δακρυόν(των) δῆθεν scribendum esse censeo (αὐτῶν sc. τῶν δένδρων ut supra δακρύειν αὐτό). Verbum σταλᾶν ipsi Luciano inusitatum est; fere semper στάζειν (cum compositis) legitur v. c. Ver. Hist. I 17, 24, II 29, de Luctu 19, D. Meretr. XIII 4, Saturn 31; Toxar. 37 ἐνσταλάζειν legitur, Amor 45 ἀποσταλάζειν.

AMORES.

C. 5. παιδιᾶς ὦ Θεόμνηστε καὶ γέλωτος ἡγῇ τὴν διήγησιν; Concedunt omnes διήγησιν esse corruptum. Cob. V. L pg. 257 διάγνωσιν, idem commendat Schwartzius, Bekkerus ζήτησιν. Mihi cum praecedentibus verbis maxime congruere videtur διαψήφισιν.

C. 14 ὁ Χαρικλῆς ὑπὸ τοῦ σφόδρα θάμβους ὀλίγου δεῖν ἐπεπήγει τακερόν τι καὶ ῥέον ἐν τοῖς ὄμμασι πάθος ἀνυγραίνων. Cf. c. 3 ἱλαραὶ μὲν τῶν ὀμμάτων αἱ βολαὶ τακερῶς ἀνυγραίνοντο. Schwidopius in specimine altero observ. Luc. pg. 44 omnes locos collegit, qui nostro similes sunt aut cum eo comparari possunt, sed nulla lux mihi affulsit, qua intelligerem, quid sit ῥέον πάθος (alii codd. πένθος). Si πάθος abesset (et saepius hoc vocabulum male in textum irrep-

sit; cf. quae dixi ad Nigrin. 35 et Cob. V. L. pg. 296 et Hartmannus ad Abdicat. 18), reliqua recte se haberent.

C. 35. *μὴ δῆτα Χαρίκλεις, ὃ μὴ πρότερον ηὕρητο, τοῦτο ἐπινοηθὲν αὖθις ὡς φαῦλον εὔθυνε*. Non intelligo, quid *αὖθις* hic sibi velit; suspicor *εὐθύς* rescribendum esse. Saepius confusa sunt *αὖθις* et *εὐθύς*. v. c. D. Mort. XXIII 3 *εὐθὺς καλὸν ἀπεργάσασθαι αὐτόν* Voigtländerus primus *αὖθις* correxit; pro Imagg. 14 Schwartzius *εὐθύς* reposuit in verbis *αὖθις τὸν Φειδίαν ἐγκλεισάμενον κτλ.*

In fine apponam correctiunculas hasce: c. 27 (*ἐμ*)-*πιμπλάμενοι*; c. 37 *σεμνὸς ὀφθῆναι* pro *σεμνόν*; c. 38 *ἀνάγκη δέ* pro *ἀνάγκη γάρ*; paulo post cum Guyeto *ὁ μὲν ἀληθὴς* (pro *ἀληθῶς*) *χαρακτήρ*.

IMAGINES.

C. 5. *οὐ χαλεπὸν ὦ Πολύστρατε, εἰ τὸ ἀπὸ τοῦδε, παραδόντες τὰς εἰκόνας τῷ λόγῳ, ἐπιτρέψαιμεν αὐτῷ μετακοσμεῖν καὶ συντιθέναι καὶ* (*συν*)*αρμόζειν* (ita Schwartzius) *κτλ.* Saepissime Dindorfius, sana ratione ductus, Cobeti coniecturas in textum recepit, sed bene fecit quod h. l. eum secutus non est pro *εἰκόνας-ἡνίας* flagitantem. Cunctas supra memoratas celeberrimorum artificum statuas orationi tradere vult Lycinus, quae unam inde efficiat pulcherrimam visae mulieris imaginem; quasi *ὁ λόγος* sit persona, ita de eo loquitur. Vide quae sequuntur: *καὶ δὴ παραλαβὼν δεικνύτω*; quid *παραλαβών*? *τὰς ἡνίας*? atqui *ἐθέλω γὰρ εἰδέναι ὅτι καὶ χρήσεται αὐταῖς, ἢ ὅπως ἐκ τοσούτων μίαν τινὰ συνθεὶς οὐκ ἀπᾴδουσαν ἀπεργάσεται*, haec verba optime conveniunt, si vulgatam lectionem retinemus et inprimis c. 6 omnem tollit dubitationem. Postquam enim *τῷ λόγῳ αἱ εἰκόνες παρεδόθησαν*, ex aliis alias corporis partes sumptas ad unam imaginem componit.

C. 9. Constructio impedita ut in integrum restituatur

participium περιχορεύοντες in περιχορεύουσι mutandum erit.

C. 20. ἢ καὶ νὴ Δία κατὰ τὴν ὁμώνυμον αὐτῆς τὴν τοῦ Ἀβραδάτα, ἧς μικρὸν ἔμπροσθεν ἐμνημόνευσεν. Nodos in scirpo quaesivisse mihi videtur Herwerdenus haec scribens: „Quid hoc monstri est? eratne Penelope, nam de hac sermo est, ὁμώνυμος Pantheae, Abradatae uxori? Non video, quid aliud latere possit quam ὁμότροπον, iisdem moribus, eadem indole." Sed τὴν ὁμώνυμον αὐτῆς non pertinet ad Penelopen sed ad mulierem, quae hic depingitur, cui, ut Abradatae uxori, et ipsi Pantheae erat nomen. Cf. c. 10 ὁμώνυμος γάρ ἐστι τῇ τοῦ Ἀβραδάτα ἐκείνῃ τῇ καλῇ et Solanus ad initium huius dialogi apud Reitzium.

Pro Imaginibus.

C. 16. καὶ νὴ Δία πολλὴν τὴν εὐμένειαν ἐπιφαίνει τῷ προσώπῳ, ἐπιφαίνεσθαι non nisi h. l. legitur eo sensu, quo aut ἐπιφαίνειν aut ἐμφαίνειν dicere solet Lucianus. Ἐπιφαίνειν ex optimis libris Fritzschius (ad Alexand. 3) legit hisce locis: Alexand. 3, Anach. 25, Conviv. 7, Saturn. 28. Ἐμφαίνειν legi: D. D. XXVI 1, D. Mort XXI 1, Ver. Hist. II 12, Alexand 12, Imagg. 21, Rhet. Praec 7, adv. Ind 3, 19, de Calumnia 12, 24, D. Meretr. XII 2, Soloec. 10; de Merc. Conduct. 28 pro πολλὴν τὴν κολακείαν ἐμφανιοῦντα Cob. V. L. pg. 240 ἐμφαίνοντα, Fritzschius ἐμφανίζοντα reponere vult; ego Cobeto assentior.

Si hos locos bene consideraris et inter se compararis, apparebit discrimen inter haec duo verba vix statui posse; quae etiam Fritzschii est sententia, dicentis ἐμφαίνειν aut cum ἐπιφαίνειν convenire aut cum ἐνδείκνυσθαι, vana specie aliquid ostentandi, ut de Calumnia 24, sed ne hic quidem ullum video discrimen Apparet igitur nullam aptam causam esse cur Conviv. 7 πολὺ τὸ κόσμιον ἐπιφαίνων τῷ προσώπῳ cum Cobeto V. L pg. 211 ἐμφαίνων reponamus.

Aliud verbum est ἐμφανίζειν, quod legitur v. c. Nigrin. 21, Prometh. II 6, Q. Hist. Conscr. 44. Jov. Trag. 39, Jov. Confut. 19, cuius significatio paululum discedit ab ἐμφαίνειν, nam hoc magis est: ostendere (Belgice (ver)toonen), illud demonstrare, illustrare (Belg. aantoonen). Hinc ad de Merc. Cond. Cobeto assensus sum.

Denique ἐκφαίνειν invenitur e. g. Ver. Hist. I 30, Imagg. 9 ὀδόντας ἐκφαίνειν, Q. Hist. Conscr. 8, Demon. 5, Jov. Trag. 5 νῦν μάλιστα ἐκφαίνειν τὴν σοφίαν ubi nescio an cum cod. Oxon. ἐμφαίνειν legere praestet, Musc. Enc. 4 πόδας τε ἐκφαίνει (cum Sakorrapho pro ἐκφέρει).

Quibus ita constitutis nostro loco pro ἐπιφαίνει-ἐπιφαίνεις restituendum arbitror

C. 20. ὁ δέ γε αὐτὸ τοῦτο ἐπαινῶν οὐχ ὅπως οὐδ' ἂν ψεύσαιτό τι κτλ. Guyetus: „ὁ δέ γε ἐπαινῶν οὐκ ἂν ψεύσαιτό τι, cetera glossa videntur." Re vera et αὐτὸ τοῦτο est male additum et οὐχ ὅπως οὐδ' nihil significat. Scio saepissime οὐχ ὅπως depravatum esse addita negatione, qua de re egit Cob. V. L. pg. 112, sed hic ne οὐχ ὅπως quidem ferri potest. Exsequitur Lucianus τό τε τοῦ ἐπαινοῦντος ἔργον καὶ τὴν τοῦ κόλακος ὑπερβολήν. Opponuntur igitur ὁ μὲν οὖν κόλαξ — ὁ δέ γε ἐπαινῶν et ἐπιψευδόμενος καὶ προστιθεὶς παρ' αὐτοῦ τὰ πλείω — οὐκ ἂν ψεύσαιτό τι ἢ προσθείη τῶν μηδὲ ὅλως προσόντων. Cetera omnia supervacanea et e textu eicienda. Ut hic, ita etiam c. 21 οἱ μὲν κόλακες et οἱ ἐπαινοῦντες δέ sibi opponuntur.

Sub finem capitis leguntur haec: ὅπου Κύναιθος ὁ Δημητρίου τοῦ Πολιορκητοῦ κόλαξ—ἐπῄνει κτέ. Guyetus ὥς που coniecit, saltem ὥς ποτε debuerat. Reitzius ὅπου καί proposuit. Nihil vero mutandum esse apparet ex D. D. XVIII 1, Apolog 13, Icar. 9. Praeter ὅπου etiam ὅπου καί legitur Herod. 4 (sed Sbtius locum sic corrigit: ὅπου [καὶ] τὰ

4

τελευταῖα [ταῦτα] καὶ Ἀετίωνά φασιν ἐπιδείξασθαι, fortasse recte), pro Lapsu in Salut. 6, Icar. 23, adv. Ind. 13, 21. Huc etiam referendus erit locus de Calumnia 16 *ὁπότε καὶ παρὰ Πτολεμαίῳ κτλ.*, ubi *ὅπου καί* requiro. Denique est *ὅπου γε καὶ* Prometh. II 18, D. D. XXIII 1, pro Lapsu in Salut. 2, Hermot. 39, pro Imagg. 19 et *ὅπου γε* omisso *καί* Timon. 2, Abdicat. 23. Inusitatum est quod legitur Parasit. 58 (in quo libro multa insunt a Luciani usu abhorrentia, ut iam supra dixi) *ὅπου γε μήν*.

C. 24. *ἀλλὰ κἂν σὺ μὴ δῷς* (*διδῷς* Schwartzius), *ὅ γε τοσοῦτος αἰὼν δέδωκεν οὐδ' ἔστιν ὅστις αὐτὸν ἐπὶ τούτῳ ᾐτιάσατο, οὐδ' ὁ τὰ νόθα ἐπισημηνάμενος τῶν ἐπῶν ἐν τῇ παραγραφῇ τῶν ὀβελῶν*. Verba postrema *ἐν—ὀβελῶν* facile ab aliena manu addi potuerunt. Sin quis tenaciter ea servare voluerit, auctor ei sum ut praepositionem *ἐν* deleat Vitium concepisse necesse est verba: *οὐδ' ὁ τὰ νόθα ἐπισημηνάμενος τῶν ἐπῶν*. Nunquamne *τὰ νόθα τῶν ἐπῶν* obelo notaverunt Zenodotus, Aristarchus? An hoc latuit Lucianum? At Ver. Hist. II 20 ipse agit *περὶ τῶν ἀθετουμένων στίχων* et *περὶ τοῦ Ζηνοδότου καὶ Ἀριστάρχου ψυχρολογίας*. Dicere vult nusquam hos versus, quibus Brisëis laudatur, in suspicionem vocatos et obelo fuisse notatos; quae sententia ut verbis extundi possit, sufficit scribere: *οὐδ' ὁ ταῦτα νόθα ἐπισημηνάμενος τῶν ἐπῶν*.

Mire tamen accidit ut hodie inter omnes fere constet spurios esse illos a Luciano citatos versus; „Iliad. XIX 282—302 spurium esse locum, ex flosculis Homericis totum compositum, iure statuit Heyne", ita Batavi Homeri editores van Leeuwen et Mendes da Costa.

TOXARIS SIVE AMICITIA.

C. 5. In hoc capite describendo turbas dederunt librarii. Ultima enim huius capitis verba cum praecedentibus nullo

modo coniungi possunt Iam Solanus haesit in hoc loco: „aut mutila oratio est, aut haec verba loco suo mota sunt et alio referenda", quo nihil verius, nam si ea transposueris post verba in medio capite: *κωλύει τε οὐδὲν, ὅτι ξένοι ἦσαν ἀλλὰ μὴ Σκύθαι, ἀγαθοὺς κεκρίσθαι (καὶ ὑπὸ Σκυθῶν τῶν ἀρίστων θεραπεύεσθαι)*, tota res erit in vado. Tales loci in quibus scriptor ipse nihil peccavit, sed qui librariorum culpa aut vitiati sunt aut interpolati, a Guttentagio [1]) identidem allati sunt ad pravam huius opusculi Lucianoque indignam compositionem demonstrandam. Liceat mihi exempla quaedam afferre. In fine c. 14 legitur: *καί που συνηνέχθη πολλὰ ἱκετευθείς κτλ.*. Herwerdenus et Schwartzius recte viderunt *πότε* esse legendum, at ille: „plane, inquit, absurda mihi videntur. Quid enim sibi vult illud *καί που* (et fortasse)? Nonne mirandum Mnesippum, cum ita reliqua narraverit, quasi qui omnia exacte sciret, dubitanter dicere: et fortasse cum ea congressus est? Atque magis etiam mirabile id fit propterea quod in eis, quae referre pergit (*τὸ ἐντεῦθεν ἤδη ῥᾷον*) — minime de ea re dubitare videtur. Neque haec repugnantia tollitur, si verba *καί που συνηνέχθη* obscoene accipiuntur, quin potius ea, quae extrema addita sunt *πολλὰ ἱκετευθείς* ita etiam ineptiora videntur." Ita innoxius plectitur Lucianus.

Alterum exemplum est c. 61: *καὶ ἔφθη διεκπαίσας καθ' ὃ μηδέπω τελέως ἀπεκέκαυτο ὑπὸ τοῦ πυρός*, ubi denuo Guttentagius poenas exigit ab auctore, quamquam culpa omnis est penes librarios, qui *ἀπεκέκλῃτο* in *ἀπεκέκαυτο* corruperunt, ut vidit Cob. V. L. pg. 159 et ante eum iam Gesnerus.

---

[1]) In dissertatione, quam scripsit Isidorus Guttendag 1860: „de subdito, qui inter Lucianeos legi solet dialogo Toxaride".

Nonnunquam putat verba sincera perperam aut certe obscure dicta esse, veluti c. 1 verbis *οὐ μόνον* addendum esse *θύειν* (et ipse Herwerdenus corrigit *οὐ μόνον* (*θύομεν*), quod minime opus est ut ostendunt c. 46, D. D. VII 3, D. Mort. VIII in fine, Vit. Auct. 7); c. 3 *τὸ γὰρ δύ' ὄντας οὕτω μέγα τόλμημα τολμῆσαι* dicit verba *δύ' ὄντας* h. l. fortasse duos tantum significare negligenterque pro *δύο μόνους* (vel *μόνον*) *ὄντας* scripta esse. Sed cf. Jov. Confut. 19. *καὶ ταῦτα τρεῖς οὖσαι*, Charon. 4 *δύ' ὄντας ἀναθέσθαι*.

Non vero nego multa subtiliter et diligenter a Guttentagio esse observata et disputata, sed obiter tantum ostendere volui, quanti res critica sit ad talium quaestionum solutionem; nam hodie bona certe pars argumentorum a Guttentagio prolatorum coniecturis et emendationibus virorum doctorum concidit.

C. 6. *ἐπὶ στήλης χαλκῆς ἀνέθεσαν εἰς τὸ 'Ορέστειον καὶ νόμον ἐποιήσαντο πρῶτον τοῦτο μάθημα καὶ παίδευμα τοῖς παισὶ τοῖς σφετέροις εἶναι, τὴν στήλην ταύτην καὶ τὰ ἐπ' αὐτῆς γεγραμμένα διαμνημονεῦσαι, τὴν στήλην ταύτην καὶ* interpolatori reddo. Quis unquam dixit *στήλην διαμνημονεύειν*? et etiamsi dici possit, quid intererit inter *τὴν στήλην ταύτην* et *τὰ ἐπ' αὐτῆς γεγραμμένα διαμνημονεῦσαι*? Plenus hic liber est interpolationum, quarum plerasque iam secluserunt critici; supersunt tamen aliquot: c 7 *καλεῖσθαι*, c. 24 *ὀκτωκαιδεκαέτις* (de forma cf. Cob. V. L. pg. 249), c. 27 alterum *ἐς τὴν Αἴγυπτον*, quod parum recte Hartmannus ex *ἐς τὴν ἄνω* depravatum censet, c. 35 *δύο τάλαντα*.

Correcto c. 7 *μόνους* (*αὐτούς*), consideranda sunt verba c. 11 *οὐ μὴν ἀγεννῶς γε οὕτω καταπροδοὺς ἐν βραχεῖ τὸ Ἑλληνικὸν ἅπαν ὑποχωρήσομαί σοι*. Quamvis, o Toxaris,

inquit Mnesippus, fortis sis bellator et bene paratus ad pugnam aggrediaris, ego non tam ignaviter totam, ut ita dicam, Graeciam prodam tibi ultro cedendo. (Mnesippus nempe defensor erat Graecorum laudis nominisque, in eo igitur tota Graecia vincebatur). Haec esse debet horum verborum sententia, at non est; erit si pro ἐν βραχεῖ (brevi, quod hic ineptum est) ἐμβραχύ reposueris. De hac confusione copiose, sed ut solet acutissime egit Cob. V. L. pg 207 sqq. Simul alium locum afferam ubi idem error commissus videtur, Bacchi 3. Legimus: ἐπεὶ δ'ἤγγελτο πυρπολῶν ὁ θεὸς ἤδη τὴν χώραν καὶ πόλεις αὐτάνδρους καταφλέγων καὶ ἀνάπτων τὰς ὕλας καὶ ἐν βραχεῖ πᾶσαν τὴν Ἰνδικὴν φλογὸς ἐμπεπληκώς, hic quoque ἐμβραχύ aptum sensum praebet, ἐν βραχεῖ vero absurdum est.

Sequentia Toxaridis verba non sincera sunt: οὐδαμῶς, ἀλλ' ὡρίσθω μὴ ἐν τῷ πλήθει αὐτῶν τὸ κράτος ἀλλ' εἰ ἀμείνους καὶ τομώτεραι φαίνονται αἱ σαὶ τῶν ἐμῶν ἴσαι τὸν ἀριθμὸν οὖσαι. Rogaverat Mnesippus: Utrum certum numerum definire vis praeclare ab amicis factorum, an is victoriam reportabit, qui plura narrare habuerit? Minime, respondet Toxaris, victoria sita sit in multitudine, sed in eorum praestantia; hinc pro ὡρίσθω requiro κείσθω. Vitium inde ortum videtur, quod ὡρίσθαι et ὡρίσθωσαν in vicinia leguntur. Cf Jov. Trag. 35 ἐν γὰρ τούτῳ σοι τὸ κράτος.

C. 12. ἴστω τοίνυν ὁ Ζεὺς ὁ Φίλιος ἦ μήν, ὁπόσα ἂν λέγω πρὸς σὲ ἢ αὐτὸς εἰδὼς ἢ παρ' ἄλλων, ὁπόσον οἷόν τε ἦν, δι' ἀκριβείας ἐκπυνθανόμενος ἐρεῖν. Herwerdenus recte ἐκπυθόμενος correxit, sed adhuc in his verbis supersunt alia quae mihi displicent: pro εἰδώς requiro ἰδών; nulla enim est contrariorum comparatio in εἰδώς et ἐκπυθόμενος, sed dicendum ei est se esse narraturum, quae aut ipse viderit aut audiverit. Deinde scribo ὁπόσων pro ὁπόσον; denique

soloeca constructio est: *ἴστω ὁ Ζεὺς — ἦ μὴν — αὐτὸς — ἐρεῖν*, infin. pro acc. c. infin., quam vero mutare non audeo, etsi Xen. Anab. VI 1, 31 lego: *ὄμνυμι ὑμῖν θεοὺς πάντας καὶ πάσας ἦ μὴν — ἐγὼ — ἐθυόμην*. Non memini me praeter hunc locum usquam indicativum hoc modo usurpatum legere, certe non apud Lucianum.

C. 20. *καί μοι ἐπ' ὀφθαλμῶν λαβέ*. Sollemnis locutio est *πρὸ ὀφθαλμῶν λαμβάνειν τι*. Cf. Polyb. II 35, 8; III 108, 1 et apud ipsum Lucianum Phalar. I 7 *πρὸ ὀφθαλμῶν τιθέμενοι*, Saturn. 36 *πρὸ ὀφθαλμῶν λαβόντες*. Absurdum mihi videtur *ἐπ' ὀφθαλμῶν λαμβάνειν*, quod num Lucianus dicere potuerit, valde dubito.

C 29. *ταῦτα πάντα χαλεπὰ ἦν καὶ ἀφόρητα οἴῳ ἀνδρὶ ἐκείνων ἀήθει, οἷα* Madvigius ex uno codice, postea idem Herwerdenus. Sed quamvis lenis sit haec correctio, nescio an aliud quid lateat, nam sic aegre desidero pronomen *αὐτῷ* vel *ἐκείνῳ*. Accedit, quod Luciano proprium est dicere *ἀνδρὶ οἴῳ σοι, μοι* et similia. Cf. c. 11, Apolog. 2, Alexand. 20, de Saltat. 2, adv. Ind. 3. Hinc verisimillimum mihi videtur Lucianum scripsisse: *ἀνδρὶ οἴῳ ἐκείνῳ, ἀήθει καὶ ἀμελετήτῳ πρὸς οὕτω σκληρὰν τὴν δίαιταν*; *ἐκείνῳ* in *ἐκείνων* mutatum errorem peperit

Cetera in hoc libro minoris sunt momenti: c. 15 *καλλωπίσασθαι* pro *καλλωπίζεσθαι*; c. 22 *(ἐν)εγέγραπτο*; c. 24 *(ἡ) θυγάτηρ αὕτη*; c. 30 *αὐτίκα (κατα)πίπτουσι* (cf. c. 24, Philopseud. 16); c. 31 transpono *συνῆν πάντα τρόπον ἐπιμελούμενος*; c. 38 *διωμολογησάμεθα* pro *διωμολογησάμην*; c. 49 *κομίζειν* pro *κομίζων*; tandem c. 53 *ὑπὲρ ἑαυτοῦ γὰρ ἔπραττε* malim *ἔπραξε*, ut modo praecessit; *ξ — τι* factum *ττ* peperit (cf. Cob. V. L. pg. 120).

Lucius sive Asinus.

In hoc libro emendando peculiaris ratio est. Inter

omnes fere hodie constat libellum non ipsius esse Luciani. Ita iudicarunt: Bekkerus, Dindorfius, Cobetus [1]), Herwerdenus [2]), Schwartzius [3]), Thimmius [4]), Croisetus [5]). Hi vero omnes aut nullis aut parum firmis argumentis usi sunt; nihilominus vera fuit eorum sententia; solus adhuc frustra repugnat Sbtius [6]). Est alia quaestio cum hac arctissime cohaerens, quae ratio intercedat inter pseudo-Lucianeum Asinum, Apulei Metamorphoses et Lucii Patrensis Metamorphoseon libros duos, de quibus sermo est apud Photium (cod. 129 pg. 96^b 12 Bekker.). Iam Gesnerus in Reitziana editione paucis verbis hac de re egit. Deinde ab aliis aliae sententiae prolatae sunt, quas recensitas invenies in commentatione, quam scripsit Erwinus Rohdeus [7]). Hic vir doctus putat Asinum Luciani fuisse parodiam Lucii Patrensis Metamorphoseon et Lucianum paucis immutatis historiam, quam Lucius serio tamquam veram et fide dignam scripsisset, in risum traxisse et acerba sua ironia cum ipsum auctorem tum genus illud scriptorum perstrinxisse; res autem in utroque libro narratas in universum convenire nisi quod Luciani Asinus fere dimidio brevior fuerit. (In his omnibus Photii testimonium anxie secutus est). Quod ad Apulei Metamorphoses attinet, hunc scriptorem e Luciano hausisse eoque fonte usum esse putat, inprimis quod, resectis omnibus fabulis, quae ipsi Apuleio debeantur, apud eum ambitus

---

[1]) Var. Lect. pg. 260.
[2]) Mnem. 1879 pg. 366.
[3]) Mnem. 1887 pg. 187.
[4]) Quaestionum Lucianearum capita quattuor pg. 55.
[5]) Essai sur la vie et les oeuvres de Lucien, 1882 pg. 43.
[6]) Ausgewählte Schriften des Lucian. Erstes Bändchen. Einleitung pg. XXI.
[7]) Ueber Lucians Schrift ΛΟΥΚΙΟΣ Η ΟΝΟΣ und ihr Verhaeltniss zu Lucius von Patrae und den Metamorphosen des Apuleius 1869.

ipsius narrationis accurate Luciani Asino respondeat et partes illae, quae utrique communes sint, accurate vel in verbis conspirent ita ut saepius alter ex altero emendari possit.

Nunc paucis verbis exponam, quid Rohdens sentiat de Asini scriptore, quam quaestionem a priore illa secretam esse putat. Quum enim pro integro opere habeat hunc librum et cum Courierio nulla in eo videat vestigia, quibus epitomen esse indicetur (ut Gesnerus, Vorstius, Salmasius, alii iam suspicati fuisse videntur, et quae haud dubie opinio erat J. L. Hoffmanni [1]), quaerendum tantum ei erat, in quemnam maxime caderet talis parodia, talis satyra, qualis e Rohdei sententia hic liber est. Quamvis autem dicendi genus, sermo, sententiarum conexus aut parum elegans aut interdum ineptus abhorreat a Luciani elegantia et expedita facileque currente oratione, eiusque stylo et Graecitate, huic tamen (quamquam non sine dubitatione quadam) librum adiudicavit.

In altera huius commentationis parte Rohdeus refutavit opinionem, quam defenderat Knautius [2]) in dissertatione paulo ante scripta: Luciani librum primum compositum esse, deinde dilatatum et aliis fabulis exornatum, in ambitum duorum librorum crevisse, qui in corpus illud Metamorphoseon, a Photio Lucii Patrensis nomine citatum, recepti fuerint; hos autem libros Apulei fontem fuisse. Coactus igitur est Asinum ad iuvenilem Luciani aetatem referre, unde etiam explicat discrepantias illas in stylo et sermone; quam explicationem Rohdeus iure reicere mihi videtur.

---

[1]) Lucian der Satiriker 1856, pg. 70, 71.

[2]) C. F. E. Knaut: „de Luciano, libelli qui inscribitur Lucius sive Asinus, auctore (1868).

Secuta est disputatio Goldbacheri [1]), quam legere non potui; nec adeo opus erat, nam sententiam, quam ille prompserat, postea amplexus est Bürgerus [2]). Quum vero e Bürgeri opinione Goldbacheri sententia vera quidem esset, argumenta tamen „multa in eius libello aut aperte falsa aut ad persuadendum minime apta," ipse denuo, allatis novis argumentis, efficere studuit Lucii Patrensis Metamorphoses commune exemplar fuisse et pseudo-Luciani Asini et Apulei Metamorphoseon; Asinum autem, in epitomen contractum, exemplar suum satis quidem accurate secutum esse, permultos tamen exstare locos „aut aperte mutilatos (c. 15, 17, 40, 42, 44) aut contextum praebentes prorsus laceratum et discerptum et interdum talem, qui ex eis solis, quae in Asino narrata sunt, non satis intelligi possit. (c. 11 et 26)". Hanc sententiam, in quam ipse, ut Apulei verbis utar „non pedibus tantum, sed toto corpore eo," eodem fere tempore quo Bürgerus protulit Rothsteinius [3]), in summa re prorsus cum eo conveniens, nonnisi in rebus minoris momenti ab eo hic illic discedens. Putat epitomatorem in suum usum excerpsisse, quae ei placerent, ceteris breviter significatis aut plane omissis, neque vero esse quod credamus, ita multa omisisse librarium. Paene supervacaneum est dicere utrumque Luciano hunc librum abiudicare; neque in explicando Photii testimonio cum Rohdeo consentiunt, partim illud reicientes, partim aliter interpre-

---

[1]) Goldbacher. Zeitschrift f. Oest. Gymn. XXIII 1872 pg. 323—341 et 403—421.

[2]) Carolus Bürger „de Lucio Patrensi, sive de ratione inter Asinum q. f. Lucianeum Apuleique Metamorphoses intercedente", dissertatio 1887.

[3]) Quaestiones Lucianeae pgg. 128—138.

tantes. Ipse Rohdeus postea [1]) professus est, priorem suam opinionem nihil esse labefactatam, nisi quod concedat Asinum non esse ipsius Luciani.

Necesse esse duxi brevem dare conspectum huius quaestionis et sententiarum de ea prolatarum, ut, quid ipse sentiam, lectores sciant, et intelligant, quam rationem in hoc libro emendando sequendam arbitrer.

Sunt autem loci, qui aut vix intelligi possint, aut corrupti videantur, quos tamen nullo modo tentare liceat, quod penes ipsum epitomatorem culpa est. Cf. Bürger pg. 14. (c. 27), pg. 33 (c. 11), pg. 34 (c. 12), pg. 38 (c. 20); Rothstein pg 130 (c. 4), pg. 134 (c 45), et alii quidam loci, de quibus postea agam.

Sunt qui, quamquam corrupti, certa tamen medela sanari possint, comparato Apuleio (nec non interdum Apuleius emendari potest mutua comparatione, cf Mnem. 1895 pg. 328 v cl. v. d. Vliet ad Apuleium Metam X c. 23 in. et Luciani Asin. 52); cf. Herwerdenus Plut. et Luc. pg. 82 ad Asin. 32, comparato Ap. Met. VII 27, et Schwartzius complures locos ope Apulei correxisse videtur, etsi ex eo nihil citavit, veluti Asin 23 *προελθοῦσα* Apul. VII pg. 435 procurrens; c 33 *θανάτῳ οἰκτίστῳ (μὲν), ὁλόκληρος (δέ)* Apul. VII pg. 492 moriturus equidem nihilominus sed moriturus integer; c. 47 *ἐν ταὐτῷ μέτρῳ (μέν)οντα* Apul X pg. 706 foenum prorsus intactum quotidie remanere cernentes; fieri tamen potest ut sine

---

[1]) In Museo Rhenano Vol. 40 (1885) pg. 91.

Postea cognovi dissertationes, v. d. C. H. Dee. „de ratione, quae est inter Asinum pseudo-Lucianeum Apuleique Metamorphoseon libros" 1891, qui in summa re non magis dissentit a Bürgero, et v. d. P. M. Bolderman „Studia Lucianea" 1893, qui temere denuo Asinum Luciano vindicare conatur.

comparatione has correctiones invenerit; quodsi ita est, nunc etiam magis confirmatae sunt.

Denique sunt loci a scribis corrupti et ex coniectura corrigendi. Hisce praemissis pauca, quae in hoc libello mihi invenisse et observasse videor, dabo.

C. 1 in fine: *ἐπεὶ δὲ πλησίον τῆς πόλεως ἐγεγόνειμεν.* Paetzoltius, quum paulo ante praecesserit *πλησίον ἤδη τῆς πόλεως ἦμεν,* hic legere vult: *ἐπεὶ δ' ἔτι πλησιαίτερον τῆς πόλεως ἐγεγόνειμεν.* Vereor tamen ne ipse epitomator male hic suam rem gesserit. Assentior enim Bürgero contendenti et probare conanti pg. 26 sqq. quaedam ab exceptore in hoc primo capite esse resecta, comitum sermones ex Apuleio notos, excepta fortasse de Socrate fabula. Ita credo factum esse, ut prius illud *πλησίον ἤδη τῆς πόλεως ἦμεν* praemature additum sit.

C. 2. *ἔνδον, ἔφη· σὺ δὲ τίς ἢ τί βουλόμενος πυνθάνῃ;* Quum Lucius non respondeat quis sit, Herwerdenus putat *τίς* et *τί* esse varias lectiones et corrigendum esse: *σὺ δὲ τί β. π.*; recte opinor. Cf. Apulei verba I pg. 69: Plane, inquit; sed quae causa quaestionis huius?

Post pauca: *ἔτυχε δ' ἐν ἀρχῇ δείπνου ὢν καὶ κατέκειτο ἐπὶ κλινιδίου στενοῦ, γυνὴ δὲ αὐτοῦ καθῆστο πλησίον καὶ τράπεζα μηδὲν ἔχουσα παρέκειτο.* Herwerdenus ad hunc locum haec adnotavit: „Iure mireris in caenae initio mensam vacuam, nisi forte hyperbolice ita scriptum putas ad significandam hominis avaritiam, cf. c. 1 et 4 post med.; sed enim *φιλάργυροι* non sunt continuo sordidi et magnifice Lucius, ipso teste, ab homine accipitur, et unde, quaeso, cap 3 med. subito illa: *τὸ δεῖπνον οὐ σφόδρα λιτόν*? Id igitur aut quo tempore Lucius lavabatur paratum sit necesse est, aut supra scriptor dederat: *καὶ τράπεζα μηδέν (πω) ἔχουσα παρέκειτο.* Nempe cum primum L. intrabat, Hipparchus

cum uxore coenaturus iam accubuerat, sed servula nondum, ut videtur, cibos mensae imposuerat. In usu τοῦ μηδέν pro οὐδέν in hoc scriptore, qui cum Luciano nihil habet commune non haerendum est." Difficultas ab Herwerdeno clara in luce posita est; apud me tamen constat nihil esse mutandum. Apuleius enim eadem Latine sic reddidit: „eum accubantem exiguo admodum grabatulo et commodum coenare incipientem invenio. Adsidebat pedes uxor et mensa *vacua* posita." Sed etiamsi adsentiaris Bürgero pg. 31 sq. de Hipparchi φιλαργυρίᾳ disputanti et contendenti, Apuleium in describendis eius moribus primitivam Lucii Patrensis narrationem mutasse, Asini vero excerptorem quam proxime fontem secutum esse, ut ibi quoque Lucii hospes ab Hypatensibus avarus habeatur nec vero sit, difficultas tamen huius loci non tollitur. Equidem h. l. epitomatorem agnoscere mihi videor; ceteroquin vix intelligo cur bis eius avaritia (φιλαργυρία) a diversis personis exprobretur. Nam necesse esse existimo ut in fonte huius narrationis aut causae additae fuerint malae huius famae, qua uteretur Hipparchus (si quidem recte statuit Bürgerus eum etiam apud Lucium Patrensem non revera avarum fuisse, sed talem haberi tantum a civibus suis), aut si revera sordidus et avarus fuit, ut eodem modo atque apud Apuleium, specimina huius avaritiae fuerint datae

Quidquid est, statuendum erit h. l primitivam narrationem aut fuisse mutatam ab epitomatore aut resectam, ut omiserit caenae illius lautae apparatus descriptionem.

C. 5. Comparatis Apulei verbis: „haec mecum ipse disputans fores Milonis accedo, nec tamen domi Milonem vel uxorem eius offendo," valde dubio obnoxia mihi vi-

detur Schwartzii suspicio, verba *ἐν τῇ οἰκίᾳ* esse insiticia.

C. 7. *εἶτα τοῦ ὕπνου καταψευσάμενος* — malim deleto articulo *εἶτα ὕπνου κ.* Apud Apuleium Hipparchus fabulis taedium moventibus Lucium remoratur, iamdudum Palaestrae desiderio cubitum ire desiderantem, donec tandem somnum mentitus hospitem relinquat. Addideritne haec Apuleius de semet ipso an e fonte hauserit, difficile est dictu.

Ῥόδα deinde dicuntur *τὰ μὲν οὕτω γυμνὰ καθ' ἑαυτά, τὰ δὲ λελυμένα, τὰ δὲ στεφάνοις συμπεπλεγμένα* (*ἐμπεπλ.* Herwerdenus). Schwartzius verba *γυμνὰ καθ' ἑαυτά* expungit, collato Catapl. 29, ubi cum Hermanno pro *οὑτοσί — οὑτωσί δεδέσθω* rescribit, quod explicat: sic ut nunc habet, simpliciter. Habemus igitur rosas nudas (simplices), solutas, sertas. Sed nullum video discrimen interprimum et alterum rosarum genus; an sub rosis solutis intelligenda sunt rosarum folia? Vix credo; comparo Apuleium, qui loquitur tantum de rosa soluta et rosa serta. Scriptumne fuit olim: *τὰ μὲν* (*οὕτω*?) *λελυμένα, τὰ δὲ στεφάνοις ἐμπεπλεγμένα* et reliqua a librariis addita sunt?

C. 15. *ἐγὼ δὲ τὰ μὲν ἄλλα ὄνος ἤμην* (*ἦν*?), *τὰς δὲ φρένας καὶ τὸν νοῦν ἄνθρωπος ἐκεῖνος ὁ Λούκιος, δίχα τῆς φωνῆς.* Verba: *ἐκεῖνος ὁ Λούκιος* ut turpe emblema delet Herwerdenus; suspecta mihi praeterea sunt sequentia: *διχα τῆς φωνῆς*, neque enim ea habet Apuleius III pg. 222: „ego vero, quamquam perfectus asinus et pro Lucio iumentum, sensum tamen retinebam humanum"; hic vero verba: „et pro Lucio iumentum" valde languere mihi videntur, neque leguntur in nostro Asino. Profecto denuo ipsum fontem se assecutum esse possit quispiam existimare legens in Asino: *ἐγὼ δὲ τὰ μὲν ἄλλα ὄνος ἦν, τὰς δὲ φρένας καὶ τὸν νοῦν ἄνθρωπος*, et in Apuleio: ego vero,

quamquam perfectus asinus sensum tamen retinebam humanum

C. 17. Non ausim cum Herwerdeno delere verba: ὥστε ἐς τὴν τότε καὶ ἔμεινα ὄνος, ratione habita eorum, quae de hoc loco scripserunt Bürgerus pg. 39 sq., Rothsteinius pg. 132 sq.

C. 23. τοῦτό με καὶ παρώξυνεν ὡς μάλιστα ἐς τὴν φυγήν — an παρώτρυνεν? Cf. Toxar. 35 εὖγε, ὅτι καὶ παροτρύνεις με πρὸς τὸν λόγον; Deor. Conc. 4 εὖγε, ὅτι καὶ παροτρύνεις με πρὸς τὴν παρρησίαν. Suntne nostro quoque loco praepositiones ἐς et πρός confusae? De confusione τρ et ξ cf. Cob. V. L. pg. 120; N. L. pg. 80 sq.

C. 24. οἱ δὲ τὴν γραῦν θαυμάσαντες τῆς εὐγνωμοσύνης, τὴν μὲν ἀπολύσαντες ἐς τὸν κρημνὸν κάτω ἀφῆκαν ὡς ἦν ἐν τῷ δεσμῷ.

Herwerdenus: „verba ὡς ἦν ἐν τῷ δεσμῷ delenda videntur; vertunt: una cum resti. At cur restim simul abicerent cum praesertim anus soluta esset? Adscripserat ista glossator ad ἀπολύσαντες et voluit significare: quippe vincta erat." Verba genuina, ab ipso scriptore profecta delere haudquaquam licet; audi Apuleium VI pg. 443: „et ecce de quodam ramo procerae cupressus induta laqueum anus illa pendebat. Quam quidem detractam (ἀπολύσαντες) protinus cum suo sibi funiculo (ὡς ἦν ἐν τῷ δεσμῷ) dedere praecipitem."

C. 27. εἰ ἦν τὰ πράγματα ἐν ὄνῳ δικαστῇ — lege ἐπ' ὄνῳ δικαστῇ.

C. 28. ἡ δὲ βελτίστη καὶ παρὰ τῶν ἄλλων τῶν ἐν ἐκείνοις τοῖς ἀγροῖς — πολλοὶ δὲ πάνυ ἦσαν — ἄλευρα τὸν μισθὸν αἰτοῦσα, ἐξεμίσθου τὸν ἐμὸν ἄθλιον τράχηλον. Mnem. 1894 pg. 54 v. cl. Francken: „significandum erat, qui qualesve fuerint illi reliqui; non sane omnes loci incolae,

sed qui molas habebant; post ἀγροῖς excidisse videtur ἀλούντων. Habitum videtur id pro dittographia proximi ἄλλων." Lenis est correctio, quam, si Apuleio carerem, statim amplecterer; nunc vero epitomatoris negligentiae rem adscribo, qui male reddidit, quod accuratius Apuleius sic expressit: „nec tantum sui sibi gratia me fatigare contenta, *vicinorum* etiam frumenta mercenariis discursibus meis conterebat."

Quod c. 33 Herwerdenus κατὰ τοῦ ὄρους reponere vult pro ἐκ τοῦ ὄρους, hoc minime necessarium esse ostendunt D. D XX 5, D. Mar. XIV 3 et ipsum participium ἐκπεσών. Eodem modo dictum videtur Toxar. 42 κατασπασθέντα ἐκ τοῦ ἵππου; Hercul 4 ὑμῖν ἀπορρεῖ ἐκ τῆς γλώττης τὸ μέλι.

C. 39. ἔνθα δὲ οἶδα μέγαν κίνδυνον αὐτὸς ὑποστάς. Herwerdenus et Schwartzius αὖθις rescribendum esse suspicantur; mirationem sane movet αὐτός sed non minus quod legimus apud Apuleium VIII pg. 590: „hic ego me potissimum capitis periclitatum memini"; ut illic αὐτός hic „me potissimum" scriptum est, unde apparet periculosum esse, quidquam mutare.

C. 40. καὶ ῥήξας τὸν ἱμάντα, ᾧ διηγόμην — δὴ ἠγόμην Herwerdenus; sed quid est δή? Locum corruptum esse Herwerdeno assentior; suspicor id, quod hic unice aptum mihi videtur: ἐδεδέμην, quod etiam confirmatur ab Apuleio, qui libri IX pg. 592: „protinusque vinculo, quo fueram deligatus, abrupto."

C. 42. καὶ ὁδὸν ἀργαλέαν ἀφιγμένον ἀναπαύεσθαι ἔνδον ἀφῆκαν. Aperte falsum est ἀφῆκαν; quum antea legamus: εἰσάγει με εἰς τὸν μυλῶνα, apparet asinum iam intus esse; parva mutatione vera lectio emicat scribendo ἐφῆκαν (concesserunt mihi, ut intus requiescerem).

C. 46. Nego recte ab Herwerdeno et Schwartzio verba ὁ ἐμὸς δεσπότης e textu expelli, collatis Apulei verbis X init.: „die sequente meus quidem dominus hortulanus, quid egerit, nescio."

C 48 Grammaticam claudicantem ut fulciam, corrigo: ὅσα ποιῶν μάλιστ' (ἂν) ψυγαγωγεῖν αὐτὸν δυναίμην.

Libertus ille ut domino placeret asinum varia docebat: κατακλίνεσθαι ὥσπερ ἄνθρωπον, προσπαλαίειν αὐτῷ, ὀρχεῖσθαι, κατανεύειν καὶ ἀνανεύειν πρὸς τὰς Φωνὰς καὶ πάνθ' ὅσα ἐδυνάμην μὲν καὶ δίχα τοῦ μανθάνειν ποιεῖν. Quaestio oritur, quid hic μέν sibi velit, quod nullo modo explicari potest. Si fortasse pro dittographia ex praecedenti ἐδυνάμην habere volueris, equidem quam maxime refragabor. Ut iam saepe fecit, nunc quoque Apuleius opem feret X pg. 710: „atque haec perfacile oboediebam, quae nullo etiam monstrante scilicet, facerem. Sed verebar ne, si forte sine magistro humano ritu ederem, plerique rati sacrum praesagium portendere .... me obtruncatum vulturiis opimum pabulum redderent" Vides corrigendum esse ἐδυνάμην ἄν et denuo deprehendis excerptorem, qui causam, cur asinus ostendere non auderet se etiam sine magistro haec facile facere posse, non adiecerit; contra omnia recte se habent apud Apuleium.

Sequuntur verba haec: καὶ τὸ πρᾶγμα περιβόητον ἦν, ὄνος ὁ τοῦ δεσπότου οἰνοπότης, παλαίων, ὄνος ὀρχούμενος. Herwerdenus corrigit: „ὄνος [ὁ τοῦ δεσπότου] οἰνοπότης, παλαίων, [ὄνος] ὀρχούμενος, nisi forte mavis: ὄνος ὁ τοῦ δεσπότου συμπότης." Ego ex Apulei verbis: „hic est qui sodalem convivamque possidet luctantem asinum, saltantem asinum, voces humanas intelligentem", locum sic scribendum arbitror: ὄνος ὁ τοῦ δεσπότου συμπότης, (ὄνος) παλαίων, ὄνος ὀρχούμενος.

C. 51. *καὶ τὴν παιδίσκην δὲ ὁρῶν πάντα καλὴν κλίνομαι.* Potestne *πάντα* defendi, quod legitur c. 22 *πάντα ἔκλαε* et aliquanto post *πάντα καταπίπτοντα*, an ut Piscat. 12, ubi in codd. *πάντα* et *πάνυ ἑταιρικά* confusa sunt, hic idem obtinuit, ut scribendum sit: *πάνυ καλήν*?

JUPITER CONFUTATUS.

C. 4. *νῦν δὲ αὐτόν σε ἤδη ὁρῶ . . . ἀπὸ λεπτοῦ νήματος, ὡς φῄς, κρεμάμενον.* Se de tenui filo suspensum esse, Jupiter de se ipse vix apte dicere potest; quum proverbium respiciat Cyniscus, scribendum est *ὡς φασί*. Cf. Charon. 16.

C. 6. *σὺ δὲ μὴ ὀκνήσῃς ἀποκρίνασθαι καὶ ὅπως ἀσφαλέστερον ἀποκρίνῃ* (Cob. V. L. pg. 262 *ἀποκρινεῖ*). Quid est *ἀσφαλέστερον ἀποκρίνεσθαι*? Nihil credo, non magis quam Latine tutius vel firmius respondere. Lucianus scripsit *σαφέστερον*, apertius, planius. Cf. Jov. Trag. 27 *πόλυ ἀσαφέστερα πρὸς τὰς ἐρωτήσεις ἀποκρινόμενος*, de Electro 2 *σαφέστερον λέγειν*.

C. 8. *βασιλεὺς γὰρ εἶ καὶ δύνασαι ἀνασπᾶν τὴν γῆν καὶ τὴν θάλατταν ὥσπερ ἱμονιὰν καθεὶς.* Sakorraphus ad hunc locum haec habet: „alluditur ad notas illas Jovis Homerici (Θ 18 sqq.) minas, quas Lucianus saepe derisit. Aliquid tamen deesse ostendit *ὥσπερ*. Suppleverim et correxerim: *ἀνασπᾶν τὴν γῆν καὶ τὴν θάλατταν ὥσπερ (ἰχθὺν) ὁρμιὰν καθεὶς κτέ.* Cf. Piscat. 48 *ὁρμιὰν καθείς*." Ingeniose, num etiam vere, dubito. *Ἱμονιά* antiqua lectio est; iam legit scholiasta, nec ullam video causam, cur haec vox corrupta existimanda sit. Si quid mutandum est (et revera aliquid excidisse videtur), scribendum arbitror . . . *τὴν θάλατταν (σειρὰν) ὥσπερ ἱμονιὰν καθείς.* Ubicunque enim de his Jovis minis mentio fit, haec *χρυσῆ σειρά* affertur, veluti c. 4, D. D. XXI, Hermot. 3, Jov. Trag. 14. 45.

Correcto ἀποδεῖξαι pro ἐπιδεῖξαι in c. 10, transeo ad haec verba c. 14: ἐχρῆν μὲν μηδὲ ὀργίζεσθαι θεὸν ὄντα. πλὴν ἀλλὰ καὶ τὸ ἐξαπατηθῆναι τῷ Λυδῷ ὑπὸ τοῦ χρησμοῦ ἐπέπρωτο, οἶμαι, καὶ ἄλλως τὸ μὴ σαφῶς ἀκοῦσαι τὰ μέλλοντα ἡ Εἱμαρμένη ἐπέκλωσε. Schwartzius recte τῷ Λυδῷ transposuit ante ἐπέπρωτο, quod ni faceres, τὸν Λυδόν scribendum foret; deinde pro ἄλλως (Gorl., Oxon. ἄλλῳ) ὅλως suadet, quod olim iam proposuerat Jacobitius. Mihi vero omnia sana videntur, modo pro καί-καί scribatur ἤ-ἤ ut sententia sit: sive in fatis erat Lydo, ut oraculo deciperetur sive destinatum ei erat, ut futura male interpretaretur, apparet tamen vestram (i. e. deorum) divinationem totam ab illo (Fato sc.) pendere.

C 17. τὸ δὲ νῦν ἔχον ἐβουλόμην — ἀποθανὼν, ἀλλὰ μὴ ἐνταῦθα διψήσας — πίνειν — κατακείμενος. Cum Solano ex ed. Iuntina malim μᾶλλον ἤ pro ἀλλὰ μή, quod ni reposueris, Cyniscum optantem facies, ut sibi in inferis iecur a sedecim vulturibus discerpatur. Sensus enim verborum hic est: modo vitam feliciter agam, malim mortuus miserias pati, quam post miseram vitam in beatorum insulam pervenire.

JUPITER TRAGOEDUS.

C. 15. ἀλεκτρυόνα μόνον κατέθυσε, γέροντα κἀκεῖνον ἤδη καὶ κορυζῶντα. Herwerdenus risum movere dicens κορυζῶντα, τρύζοντα proponit, quod optime dictum putat de galli rauca voce senio confecti. Sed galli nunquam τρύζουσι, ne vetuli quidem; quod etiamsi de iis dici possit, quae senectutis et senii notio inesse potest? Sed eo ipso, quod risum movet κορυζῶντα, Lucianus hoc vocabulo usus est; omnia enim in hac satyra ad risum movendum et ad iocum composita sunt et de gallo dicitur, quod proprie convenit in senem cf. v. c. D. Mort. IX 2.

Breviter significo c. 32 legendum esse Ἡράκλεις, ὦ Ἡράκλεις, (ὡς) ἄγροικον τοῦτ' εἴρηκας. Cf. D. D. XII 2, Timon. 29, Hermot. 59; paulo post: οὐκοῦν ἄκουσον, ὦ Ζεῦ, μετὰ παρρησίας (λέγοντος) Cf. Jov. Conf. 5 et in hoc ipso libro c. 19 et 21; deinde corrigo c. 36 ἀνέξεσθε pro ἀνέχεσθε.

C 37. ἔθος γοῦν αὐτοῖς συνεχῶς ἰέναι παρ' αὐτοὺς μετὰ δαῖτα καὶ αὐτεπαγγέλτοις ἐνίοτε. Pro μετὰ δαῖτα Herwerdenus κατὰ δαῖτα requirit; aliter Cobetus V. L. pg. 110, qui credit ipsius Luciani esse errorem. Alterum peccatum, quod ipsius Luciani esse vix credo, est αὐτεπαγγέλτοις pro αὐτεπαγγέλτους. Cf. de Syria Dea 26 ἔδωκε δὲ οἱ βασιλεὺς—ἑστάναι χάλκεον, qui locus a nostro non multum differt, nam non magis hic χαλκέῳ, quam illic αὐτεπαγγέλτοις recte haberet. De simili vitio in participiis operae pretium est conferre, quae ad Xen. Anab. I 2, 1 disputavit v. cl. Naber, Mnem. 1893 pg. 1 sqq. Accusativum participii praeeunte dativo apud Lucianum invenimus Necyom. 4 ἔδοξέ μοι ἐλθόντα — ἐγχειρίσαι, Phalar. II 4 παρέσχεν αὐτοῖς — σῶς κατᾶραι, Alexand 59 ὅτι ζῆσαι εἵμαρται αὐτῷ — εἶτα κεραυνῷ βληθέντα ἀποθανεῖν, Toxar. 58 κἀμοὶ μὲν ἐδόκει — παραβύσαντα — ἀπελθεῖν, Bis Accus. 32 καλῶς εἶχέ μοι — ἀτρεμᾶν ἐᾶν — ἐκφυγόντα, de Calumnia 31 ἀλλ' ἑαυτῷ τὴν ἐξέτασιν φυλακτέον τῆς ἀληθείας ἀποδόντα, Saturn. 7 ἐδόκει μοι διανείμαντα εὐωχεῖσθαι, de Electro 3 οἷς ἐξῆν πλουτεῖν ἀναλέγοντας. His exemplis fretus confidenter emendo c. 40 ἀδύνατον γὰρ ἦν αὐτῷ κεραυνὸν ἐμβαλόντα καταφλέξαι pro ἐμβαλόντι.

C. 39. Valde mihi arridet cod. Gorlicensis lectio ἐμφανίζων pro ἐμφανίζοντι. Homero auctore providentiam deorum tollebat; cf. c. 40 initium et finis.

C. 40. *καὶ εἴ γε μὴ τὸν Βριάρεων ἡ Θέτις ἐκάλεσεν ὡς νοήσασα τὸ γιγνόμενον, ἐπεπέδητο ἂν ὁ βέλτιστος Ζεὺς ξυναρπασθείς.* Jacobitius ita edidit e cod. Gorl.; Reitzius et Dindorfius *ἐλεήσασα.* 'Ἐλεεῖν τι num recte dicatur, valde dubito; verum puto *κατανοήσασα*, quod corruptum in *καί* — deinde in *ὡς νοήσασα* abiit. Nescio an c. 44 *ἀνατρέπων* pro *ἀνατρέπεις* rescribendum sit.

C. 52 .... *λιχνότατε καὶ ἀναισχυντότατε.* Herwerdenus suadet *λαγνίστατε*, fortasse recte, sed quod idem Rhet. Praec. 23 *κυβεύειν, μεθύσκεσθαι, λαγνεύειν, μοιχεύειν ἢ αὐχεῖν γε* et Fugit. 19 *μέθης καὶ μοιχείας καὶ λαγνείας καὶ φιλαργυρίας* — *λιχνεύειν* et *λιχνείας* corrigendum censet, minime probare possum; gravius illud vitium acerbe iis imputat Lucianus; quin nescio an etiam Piscat. 42 pro *λιχνεία* praestet rescribere *λαγνεία*, nam hic iidem carpuntur qui Fugit. 19, Cynici sc. Recte legitur *λιχνεία* Vit. Auct. 19, Piscat. 48, de Merc. Cond. 24, Asin. 47, Lexiphan. 25, Fugit. 16.

GALLUS SIVE SOMNIUM.

C. 14. *οὐκοῦν ἐκεῖνος αὐτὸ κλέψας εἶτα ἐπωμόσατο θεοὺς τοσούτους.* Simo vicinus patellam furatus per omnes deos furtum abiurabat. Qui memor est Arist. Equit. 424 ubi isiciarius simile facinus committit (cf. etiam Nubb 1232, Lysistr. 903) h. l. verbum *ἐπωμόσατο* non sine suspicione considerabit. 'Ἐπόμνυσθαι et διόμνυσθαι in Luciano frequentissime occurrunt, nusquam tamen haec verba legi eo sensu, quo Attici *ἀπομνύναι* usurpare solent. Vix dubito, quin *ἀπώμοσε* restituendum sit.

Postquam c. 23 correxi: *ἀλλ' ἤν ποτέ (σου) κοῦφος πυρετὸς ἐπιλάβηται* (cf. Nigrin. 29, Scyth. 5), tractabitur:

ICAROMENIPPUS SIVE HYPERNEPHELUS.

C. 13. κἀπειδὰν τάχιστα κατάπτωμαι πάλιν ἐς τὴν Ἑλλάδα, μεμνήσομαι σπένδειν ἐπὶ τῆς καπνοδόκης κτλ. Gratum animum ut ostendat Menippus pollicetur se reversum Empedocli esse libaturum ἐπὶ τῆς καπνοδόκης, quod quomodo aut facere aut promittere possit, mihi non liquet. Mirer ni promiserit se σπένδειν ei velle ὑπὸ τῆς καπνοδόκης.

C. 15 expunge Στρατονίκῃ in his verbis: τὸν Σελεύκου δὲ Ἀντίοχον Στρατονίκῃ διανεύοντα λάθρα τῇ μητρυιᾷ; comparatis iis quae praecedunt et sequuntur nusquam tali modo nomen proprium additum videbis nec bene ita habet ordo verborum. Sbtius cum nostro loco confert, quae de eadem Stratonice et Antiocho narrantur de Syria Dea 17, 18, de Saltat 58, de Calumnia 14 et addit: „de Hist conscr. dagegen wird diese Geschichte wohl irrthümlich von Perdiccas erzählt; postea Rohdeus (der Gr. Roman u. s. V. pg. 54) ostendit hoc a Luciano non per errorem ita esse narratum, sed eiusdem fabulae esse variam traditionem.

C 23. ὁ δὲ Ζεὺς μάλα φοβερῶς δριμύ τε καὶ τιτανῶδες ἐς ἐμὲ ἀπιδών — apud me constat μάλα φοβερῶς ab aliena manu esse additum ad sequentia verba explicanda. Certe aliis locis nihil tale additum invenimus. Cf. Philopatr. 22 εἷς δὲ δριμὺ καὶ τιτανῶδες ἐνιδών, quem locum scriptor huius libelli a nostro fortasse mutuatus est; est enim ineptum hoc opusculum variis pannis Luciano aliisque desumptis consutum. Alia exempla nostro simillima haec sunt: Necyom. 15 καὶ πάντων ὁμοίως φοβερόν τι καὶ διάκενον δεδορκότων, Conviv. 16 ἐπανίστατο δριμύ (τι?) καὶ παράφορον βλέπων, de Luctu 4 τοὺς μὲν ἐσαφικνουμένους φίλιόν τι καὶ εἰρηνικὸν προσβλέπων, Amor. 29 ἐπαύσατο δεινόν τι

καὶ θηριῶδες [ἐν τοῖς ὄμμασι] (delet Sbtius) *ὑποβλέπων*, de Saltat. 8 *πηδώντων ἔνθεόν τι καὶ πολεμικόν*. Quibus exemplis fretus nostro quoque loco *δριμύ τι* pro *τε* legere malim.

Longe aliter Fritzschius iudicat, qui olim, comparato Charid. 8 *μάλα σοβαρῶς* coniciens, hodie supplet: *μάλα φοβερῶς (βριμησάμενος) δριμύ τε*, collato Necyom. 20.

CAPUT III.

Bis Accusatus.

Notatis c. 1 *ὁ Ἀπόλλων δ' αὖ* pro *τε αὖ*, c. 8 *καὶ αὐτοί* pro *καὶ οὗτοι*, c 31 *ουδὲ (δια)μένουσαν ἐπὶ τοῦ κοσμίου σχήματος* (cf. c. 33, Nigrin. 30, pro Lapsu in Salut. 3, Galli 11), venio ad verba gravius corrupta c 33 *ὅτι με σεμνὸν τέως ὄντα καὶ θεῶν τε πέρι καὶ φύσεως καὶ τῆς τῶν ὅλων περιόδου σκοπούμενον.* *Φύσεως* sic absolute positum admodum displicet, addendum enim fuerat cuius rei natura significaretur; nec magis verba *τῆς τῶν ὅλων περιόδου* sana mihi videntur; *τῶν ὅλων* saepius legitur: Icar. 5 *τὴν τῶν ὅλων διακόσμησιν*, Amor. 19 *τὴν τῶν ὅλων φύσιν*, Vit. Auct. 12, D. Mort I 2, de Saltat. 7, sed *τὴν τῶν ὅλων περίοδον* frustra quaeres. Parvulum vitium has turbas dedisse videtur; si olim scriptum fuit *θεῶν τε πέρι καὶ φύσεως τῶν ὅλων καὶ γῆς περιόδου*, depravatum *γῆς* in *τῆς* fecit, ut verba *τῶν ὅλων* loco suo moverentur. De *γῆς περιόδου* cf. Nubb. 206 Aristophanis, quem quantopere calluerit Lucianus, ostendit Cob V. L. pg. 111 sq.

De Parasito.

C. 2. *παραιτεῖσθαι δὲ τῶν ἁμαρτημάτων αὐτούς κτλ.* Operae pretium est h. l. notare miram verbi *παραιτεῖσθαι* constructionem; certe non convenit cum ea, quam habet Nigrin 14, pro Lapsu in Salut. 7, Abdicat. 9, 11, pro

Imagg. 12, de Luctu 16, nec comparari possunt Abdicat. 13, 19 *παραιτεῖσθαι τῆς οἰκίας*. Attamen non dubito, quin verba, sicut hic leguntur, a scriptore profecta sint, sive Lucianus fuit, sive alius quis. (Cf. quae dixi ad Harmon. 2).

C. 8. *καὶ μὴν κυβερνήτας μὲν ἀγαθοὺς καὶ ἡνιόχους τεχνίτας ἐκπεσόντας τῶν δίφρων οἶδα ἐγὼ πολλάκις καὶ τοὺς μὲν ξυντριβέντας, τοὺς δὲ καὶ πάμπαν διαφθαρέντας, παρασίτου δὲ ναυάγιον οὐδεὶς ἔχει τοιοῦτον εἰπεῖν.*

De difficultate huius loci disputavit Hirschigius [1]); de corruptela cogitat; suspicatur enim *ἡνιόχους* esse interpolatum, dein *τῶν δίφρων* sive interpolatum sive ex alia voce ita mutatum ab aliquo, qui haec duo exempla *κυβερνητικῆς* et *ἡνιοχικῆς* apud Plat., Aristot, apud ipsum nostrum adv. Ind. 5 et apud alium auctorem saepius iungi memoria teneret, quique non intelligeret v. *τεχνίτης*. Sed haec opinio nullam prae se fert veri speciem, nec ipse iam locum depravatum esse credo, sed ipsius scriptoris negligentiae et socordiae imputandum, qui duas imagines male confuderit.

C. 8 ratio suadet ut rescribatur *τίνι δή ποτε* pro *τί δή ποτε* et c. 9 *ὅσον ἐκ τούτου εἰκάζειν* pro *εἰκάζω*. Tales infinitivi absoluti creberrime occurrunt in Luciani scriptis v. c. Hermot. 1 *ὅσον τεκμήρασθαι*, idem pro Lapsu in Salut. 5, Apolog. 13 *ὡς γοῦν εἰκάσαι*, adv. Ind. 19 *ὅσα γε εἰδέναι*, idem Timon. 52, Musc. Enc. 1 *ὅσον παραβάλλειν*, Lexiphan. 25 *ὡς παραβάλλειν*.

C. 11. *ἐσθίει καὶ κοιμᾶται ὕπτιος ἀφεικὼς τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας ὥσπερ Ὀδυσσεὺς τῆς Σχερίας ἀποπλέων οἴκαδε.* *Scurriliter* (cf. Joostii commentatio supra laudata pg.

---

[1]) R. B. Hirschig. Annotationes quaedam in Luciani libellum qui inscribitur *περὶ Παρασίτου*, dissertatio 1844 Lugduni-Batavorum.

21) in suum usum verba Luciani convertit, quae leguntur de Merc. Cond. 13 ἀποτείναντα τὼ πόδε καθεύδειν et Jov. Trag. 48, addendo τὰς χεῖρας; tales facetiae Luciano indignae sunt.

C. 27. καὶ μέχρι γε νῦν οὔτε οἱ αὐτοὶ γνώμης κρατοῦσιν οὔτε αὐτῶν ἡ τέχνη μία φαίνεται. Hartmannus St. Cr. pg. 77 post κρατοῦσιν recte inseruit ἀεί (coll. Cob. N. L. pg. 349), miror tamen haec viri docti verba: „non memini me usquam legere γνώμης κρατεῖν; videtur tamen significare: causam suam obtinere." Facile, hercle, credo, nusquam hoc legi, nam corruptum est ex γνώμῃ κρατεῖν. Cf. Herod. I 61.

C. 31. ΤΥΧ. καὶ τίνας ἂν εἰπεῖν ἔχοις φιλοσόφους παρασιτεῖν σπουδάσαντας; ΠΑΡ. οὕστινας μέντοι, ὦ Τυχιάδη; οὓς καὶ σὺ γιγνώσκων ὑποκρίνῃ ἀγνοεῖν πρὸς ἐμέ κτλ.

Hic mihi quam maxime displicet μέντοι additum post οὕστινας; interrogativum pronomen aut nude ponitur, aut verbum simul iteratur, sed praeterea nihil additur. Cf. Paras. 1 τίνος οὖν ἑτέρας; — Ἥστινος (ita pro τίνος corr. Herw.), Arist. Acharn. 106, 595, Ran. 198, Av. 1499, Pac. 701, 1255, Plut. 349, 462, Platon. Eutyphr. 2 B, D. Mort. VIII 1 τί ἀγανακτεῖς, ὦ Κνήμων; ὅ τι ἀγανακτῶ; ita Mehlerus et Cobetus expuncto πυνθάνῃ ante ὅ τι. Cf. praeterea Cob. V. L. pg. 110, qui nunnullos locos apud Lucianum depravatos correxit. Noster locus facillime restitui potest, transponendo μέντοι post οὕς.

Non leve argumentum contra huius libelli genuitatem est, quod dixit Cob Or de A. I. pg. 118, Luciano indignum esse ὑποκρίνῃ pro προσποιῇ. Cf. etiam quae dixit ad c. 11, 32, 43, 52

C. 43. μόνος δὲ τολμήσας ἐξελθεῖν ἐς τὴν ἐπὶ Δηλίῳ μάχην, ὁ σοφὸς αὐτῶν Σωκράτης φεύγων ἐκεῖθεν ἀπὸ

τῆς Πάρνηθος ἐς τὴν Ταυρέου παλαίστραν κατέφυγε.

Naberus [1]) pro κατέφυγε coniecit κατέδυ. praeterea recte observavit, Lucianum hic errasse; Socratem enim non venire ex pugna ad Delium, sed ad Potidaeam facta, ut apparet ex Platonis Charmidis initio. In dissertatione ab Hirschigio docte quidem et copiose hoc de loco disputatum est, nec tamen ita ut quod ille proposuit, mihi probare potuerit. Sed cum eo locum paulo accuratius consideremus, simul codicum lectionem sequentes, qui non ἐπὶ Δηλίῳ sed ἐν τῇ πόλει exhibent. Hoc iam mature correctum est in ἐπὶ Δηλίῳ, quum scholiastam ita legisse appareat; atqui sequentia indicant cum Spartanis pugnatum esse (ἢ ἀνδρὶ Σπαρτιάτῃ μάχεσθαι), et omnes novimus apud Delium rem gestam esse contra Boeotios. Sed hanc difficultatem ita removere conatur Hirschigius, ut dicat non ad amussim exigenda esse, quaecunque in hoc libello occurrant, ipsumque Lucianum saepius et ubi id minime exspectaveris memoria lapsum esse; itaque admodum probabilis ei videtur coniectura ἐπὶ Δηλίῳ vel potius ἐν Δηλίῳ. Verum, quominus hoc retineat, cohibetur constanti codicum lectione ἐν τῇ πόλει, quam ex ἐν Ἀμφιπόλει corruptam esse ei certum deliberatumque est. Recte tamen vidit ita denuo τὸ αὐτὸ ἄπορον ἐν ἄλλῃ μορφῇ ἀναφαίνεσθαι, nam bene quidem ἀνδρὶ Σπαρτιάτῃ nunc se habere, male vero ἀπὸ τῆς Πάρνηθος. Ad incitas redactus ad coniecturam confugit. Cum Heindorfio verba ἀπὸ τῆς Πάρνηθος pro glossemate τοῦ ἐκεῖθεν habet, iure, opinor, et sic scribendum censet: φεύγων ἔτεινεν ἐς τὴν Ταυρέου παλαίστραν· πολὺ γάρ κτλ., ut ex voce ἔτεινεν, obscure scripta vel depravata, post φεύγων legeretur

---

[1]) Verslagen en mededeelingen der Kon. Acad. van Wetenschappen 1871.

ἐκεῖθεν, dein interpolatis verbis ἀπὸ τῆς Πάρνηθος verbum finitum κατέφυγε adiectum sit. Paulo violentius, quam approbare possum, hunc locum Hirschigius tentavit; ratione simpliciore ideoque fortasse veriore medelam afferre posse mihi videor. Toti disputationi substernenda erit codd. lectio ἐν τῇ πόλει. Haec verba, quae in hanc corruptam formam redacta sunt, quomodo olim legebantur? ἐπὶ vel ἐν Δηλίῳ statim abiudicandum erit; literarum ductus nimis discrepant. ἐν Ἀμφιπόλει? potuit ita corrumpi, sed est aliud oppidi nomen, quod etiam facilius in illa verba abire potuit, sc. ἐν τῇ Ποτειδαίᾳ, id ipsum, quod legitur initio Charmidis, unde locum mutuatus est scriptor Terminatione intercidente (et unicuique notum est quam calamitosa sint semper nomina propria), nemo mirari potest, statim lectum esse ἐν τῇ πόλει. Supervenit autem, ut fit, male sedulus lector, historiae non nimis peritus, qui verbis ἐν τῇ πόλει Delium significari existimans, inseruit ἀπὸ τῆς Πάρνηθος neque Platonis memor neque scriptoris maledicentiae, qui Socratem fugientem inducit, cum fortiter pugnasset Lege igitur mecum: μόνος δὲ τολμήσας ἐξελθεῖν ἐς τὴν ἐν τῇ Ποτειδαίᾳ μάχην, ὁ σοφὸς αὐτῶν Σωκράτης ἐκεῖθεν ἐς τὴν Ταυρέου παλαίστραν κατέφυγε et locus restitutus erit, quemadmodum ipse eum scripserat auctor; nam quod φεύγων — κατέφυγε sollicitant, hoc minime mihi placet. Cf. Herodot. IV 23 (ab ipso Hirschigio citatum) τοῦτο δὲ ὃς ἂν φεύγων καταφύγῃ ἐς τούτους, ὑπ' οὐδενὸς ἀδικέεται, et Xen. Hell. I 6, 22 ἡ δ' ἐπὶ τοῦ Ἑλλησπόντου φυγοῦσα ναῦς διέφυγε.

C. 45 ἐνταῦθα γὰρ τὸ ἀεὶ πλεῖον δέπας εἴρηκεν, οὐχ ὅτι τὸ ποτήριον διὰ παντὸς πλῆρες εἱστήκει τῷ Ἰδομενεῖ κτλ. Haec verba sequuntur Homericum illum a Parasito cita-

tum versum: *σὸν δὲ πλεῖον δέπας αἰεὶ | ἕστηχ' ὥσπερ ἐμοὶ πιέειν ὅτε θυμὸς ἄνωγοι.*

Credo scribendum esse: *ἐνταῦθα γὰρ τὸ αἰεὶ πλεῖον δέπας (ἕστηκεν) εἴρηκεν*, quod quam facile excidere potuerit, incurrit in oculos.

Supersunt quaedam minoris momenti: c. 12 *τὸ φαγεῖν* abesse malim in verbis: *εἰ γὰρ ἔχει τὸ φαγεῖν παρ' ἑαυτοῦ;* articulus saltem omittendus fuerat ut supra: *ἤτοι φαγεῖν ἔχει ἢ οὐ* et c. 13 *δότε αὐτῷ φαγεῖν* (prius *τὸ φαγεῖν* iam exp. Herw.). Cf. praeterea de hoc loco Cob. Or. de A I. pg. 116. Sub finem huius capitis alterum *μαχόμενον* in marginem relego. C. 30 init. scribe *καὶ (ἐν) βαρβάροις*, c. 35 e. cod. A. (*καὶ*) *'Αριστόξενος δέ*; c. 47 fortasse *καὶ πάλιν (μικρὸν) ὑποβὰς* (cf. Q. Hist. Conscr. 14), c. 57 *ἢ τοὺς πλείστους (γε)*; (cf. Cynic. 5). C. 59 glossemata sapiunt verba: *δῆλον ὅτι ὡς κρείττονι χείρονα* et *τὸ τρέφειν τὸν παράσιτον*; illa ieiuna sunt et a loquentis mente aliena; haec male pronomen relativum ab antecedenti avellunt et ex Tychiadis verbis c. 58 repetita videntur.

Praeter cetera, quae in hoc dialogo a Lucianeo usu abhorrent, etiam est frequens usus adverbii *λοιπόν*, c. 13, 32, 60, 61. Similiter in pseudo-Luciani Asino huius vocis frequentia notatur. Memorabile praeterea est c. 22 legi *ποταπός*, nusquam alibi apud Lucianum obvium, qui semper *ποδαπός* dicere solet.

ANACHARSIS SIVE DE GYMNASIIS.

C. 16. *ὥστε καὶ σοῦ θαυμάζω, ὅπως γηραιὸς ἤδη ἄνθρωπος οὔτε ἰδίεις πρὸς τὸ θάλπος ὥσπερ ἐγὼ οὔτε ὅλως ἐνοχλουμένῳ ἔοικας οὐδὲ περιβλέπεις σύσκιόν τι ἔνθα ὑποδύσῃ, ἀλλὰ δέχῃ τὸν ἥλιον εὐμαρῶς.* Ad Hermot. 32 de usu *οὔτε — οὔτε — οὐδέ* (vel *μήτε — μήτε — μηδέ*) Sakorraphus pauca dis-

seruit Mnem. 1893 pg., 280 sq., nec hoc est, quod hunc locum citaverim, sed corruptum verbum *δέχῃ*; quis enim *δέχεσθαι τὸν ἥλιον* aut intelligere aut dicere potest? E superioribus: *οὐδὲ τὸν ἥλιον ἔτι ῥᾳδίως ἀνέχομαι κτλ.* apparet verum esse *ἀλλ' ἀνέχῃ*, quae mutatio sane levissima est.

C. 21. Verba *οἷα πολλὰ Ἡσίοδός τε ἡμῖν καὶ Ὅμηρος ἐποίησαν* haud dubie, ubi nunc leguntur, tolerari nequeunt. Possis molesta verba e textu eicere (emblematis speciem quandam prae se ferunt), possis etiam suspicari verba loco suo esse mota; tunc post *ἀοιδίμους* fortasse aptius ponentur (ut mihi significavit v. d. Mehlerus), quam, ut ego volebam, post *ῥαψῳδοῦμεν αὐτοῖς*.

C. 25. *οὐ πολυσαρκίαν ἀργόν*. Vehementer dubito num *ἀργός* unquam significare possit: pigrum, segnem reddens; quodsi non potest, sequitur adiectivum h. l. esse corruptum. Estne fortasse *ἀχρεῖον* legendum? in eodem hoc capite legimus: *τὸ μὲν ἀχρεῖον τῶν σαρκῶν*.

C. 26. *ὥσπερ ἂν εἰ πῦρ τις φέρων ἅμα ἐμβάλοι ἐς πυρὸν αὐτὸν καὶ ἐς τὴν καλάμην αὐτοῦ καὶ ἐς τὴν ἄχνην* — quattuor postrema verba delenda censeo; ex fine c. 25 sumpta videntur; postea enim sermo tantum est *περὶ τῆς καλάμης* et *περὶ τοῦ πυροῦ*.

C. 27. Mehlerus me monuit in fine huius capitis *ἄρθροις* pro *ἄκροις* scribendum esse; si praeterea articulum addideris ante *ὤμους*, locus in integrum erit restitutus.

C. 36. *καὶ διὰ τοῦτο ὡς ἐς τοσούτους ἀποδυσόμενοι εὐεξίας τε ἐπιμελοῦνται κτέ*, *ὡς ἐς τοσούτους ἀποδ.* dictum contra Luciani consuetudinem, qui coram exprimere solet per *ἐν* aut *ἐπί* c. gen.; exempla abundant; unum sufficiat, ubi ambo illae constructiones una inveniuntur; in ipsius huius dialogi c. 11 *εἰ μὴ ἐπ' ὀλίγων ταῦτα πάσχουσιν*,

ἀλλ' ἐν τοσούτοις θεαταῖς καὶ μάρτυσι τῆς ὕβρεως. Mehlerus putat Thuc. I 6 *ἐς τὸ φανερὸν ἀποδύντες* locum nostrum satis tueri; sed *ἐς τὸ φανερόν* nihil distat ab adverbio *φανερῶς*, cf. Lucian. D. Mort. XXVII 3 *ἐς τὸ βαρβαρικόν*, Q. Hist. Conscr. 51 *ἐς καλόν* et cum superlativo iunctum sexcenties *ἐς τό* usurpatum invenies: *ἐς τὸ ἀκρότατον, ἀκριβέστατον, λεπτότατον, ἥδιστον.* De corruptela autem vix ausim cogitare.

C. 38 Leve quidem est, sed sententia adiuvatur si in medio capite scribis: *καὶ λοιπὸν οὐδεὶς ἂν ἔτι παίσειε* pro *λοιπὸν καί.*

De Luctu.

C. 2 *οὐδενὶ τὸ παράπαν τῆς ἄνω ὁδοῦ ὑφιέμενον πλὴν ἐξ ἅπαντος τοῦ αἰῶνος πάνυ ὀλίγων ἐπὶ μεγίσταις αἰτίαις.* Pluto paucis exceptis et quidem gravissimis de causis, nemini reditum ad superos concedit. Haec est loci sententia, unde apparet *ὑφιέμενον* esse corruptum; nec aliud quidquam hic scribi potuit, quam *ἐφιέντα.*

Philopseudes [1]) sive Incredulus.

C. 13. *ἐγὼ δὲ καὶ αὐτὸς ἀπιστότερος ὤν σου πάλαι τὰ τοιαῦτα ὅμως κτλ.* Recte videram in his verbis aliquid esse peccatum; facillimam medelam mihi indicavit Mehlerus scribi iubens: *αὐτὸς καί* pro *καὶ αὐτός.* Potius tamen suspicor *καί* ex *καίτοι* esse corruptum, ut etiam factum est de Saltat. 83 *καί(τοι) ἀκριβῶς ὁρῶντες*, ut vidit Sbtius. „Ita enim et *σὺ μέν — ἐγὼ δέ* et *καίτοι — ὅμως* melius sibi opponuntur.

C. 16. *ὅσους παραλαβὼν καταπίπτοντας πρὸς τὴν σελή-*

---

[1]) Ipsum Lucianum hunc librum **Φιλοψευδεῖς** inscripsisse Rothsteinii haud incerta suspicio est, Q. L. pg. 6. De aliorum librorum titulis confer eundem pg. 4 sqq.

νην καὶ τὼ ὀφθαλμὼ διαστρέφοντας καὶ ἀφροῦ πιμπλαμένους τὸ στόμα, ὅμως ἀνέστησε καὶ ἀποπέμπει ἀρτίους, ἐπὶ μισθῷ μεγάλῳ ἀπαλλάξας τῶν δεινῶν· ἐπειδὰν γὰρ ἐπιστῇ κειμένοις καὶ (Fritzschius e cod. Flor. melius ἐπιστὰς κειμένοις) ἔρηται, ὅθεν εἰσεληλύθασιν ἐς τὸ σῶμα, ὁ μὲν νοσῶν αὐτὸς σιωπᾷ, ὁ δαίμων δὲ ἀποκρίνεται κτλ. Duo sunt in his verbis vitia. Pro ἀφροῦ πιμπλαμένους rescribatur (ὑπο)πιμπλαμένους, quod praeter ipsam rei naturam etiam suadet Alex 12, ubi iisdem verbis legimus: ἀφροῦ ἐνίοτε ὑποπιμπλάμενος τὸ στόμα. Simile vitium procuravit Schwartzius ad Alex. 6 ἤδη δὲ πώγωνος (ὑπο)πιμπλάμενος corrigens. Alterum peccatum est in verbis ἀπαλλάξας τῶν δεινῶν; vide enim quae sequuntur ἔρηται ὅθεν εἰσεληλύθασιν; quinam tandem? τὰ δεινά? at tunc singulari numero opus fuerat nec recte diceretur εἰσεληλύθασιν. Apparet igitur τῶν δεινῶν esse corruptum; certa emendatio praesto est; lege τῶν δαιμόνων ut postea etiam sequitur ὁ δαίμων δὲ ἀποκρίνεται.

C. 18. μῶν τὸν δισκεύοντα, ἦν δ' ἐγώ, φής, τὸν ἐπικεκυφότα κατὰ τὸ σχῆμα τῆς ἀφέσεως, ἀπεστραμμένον εἰς τὴν δισκοφόρον, ἠρέμα ὀκλάζοντα τῷ ἑτέρῳ, ἐοικότα ξυναναστησομένῳ μετὰ τῆς βολῆς; Iure Fritzschius et Mehlerus spreverunt Cobeti correctionem V. L. pg. 192 εἰς τὸν δισκοφόρον, quum, ut Fritzschius recte observat, optime Solanus τὴν δισκοφόρον de manu discum gestante acceperit Quod tamen hic vir doctus de priore huius sententiae parte disputat, ego recte se habere omnino nego. „Ita verto, ait, sinistro pede distorto (i. e. varo sive introrsum retorto) dextram versus disci pondere gravem." Hunc vero statum si imitari conatus fueris, periculum erit ne membra tua distorqueas. Ut iustum δισκεύοντος statum exprimeret Lucianus, volebam participia ἐπικεκυφότα et ἐπεστραμμένον

inter se loco mutare; Mehlero vero simplicius videtur *εἰς τὴν δισκοφόρον* transponere post *ἐπικεκυφότα*.

C. 31. *καὶ ὅλως οὐδεὶς ἦν ὁ θαρρήσων παρελθεῖν εἰς αὐτήν*. Persuadere mihi non possum, imperfectum recte coniungi cum futuri participio; de praesenti vel futuro nulla dubitatio me subit, conferentem Q. Hist. Conscr. 8 *οὐδεὶς ὁ κωλύσων*, Navig. 31 *οὐδεὶς γὰρ ὁ ἐνάντια θησόμενος* (pro *ἐναντιωθησόμενος* Cob. V. L. pg. 283) *τὰ ὅπλα*, D. Mort. X 9 *ὁ ἀποκερῶν ἔσται* (Schwartzius pro *ἀποκείρων*). Hic igitur flagito: *ὁ θαρρῶν παρελθεῖν*.

Minus gravia sunt haec: c. 18 dubitanter suspicor in *ἐνίας* latere *λίαν* (Mehlerus *ἐντεταμένας*); in fine capitis insiticium credo *ὁ Κρής* cf. de Saltat 49; c. 24 quum ipse Pyrrhias prope adstet corrigo *καὶ Πυρρίας οὑτοσί*, idem c 25 in. *'Αντίγονος οὑτοσί*; c. 27 *(κατ)εκαύσαμεν* coll. Herw. ad de Morte Per. 4.; c. 32 malim: *καὶ σὺ τοιοῦτος (ἄρ') ἦσθα*; c 36 *ἐμπλησάμενον* pro *ἐμπλησάμενος*.

HIPPIAS SIVE BALNEUM.

C. 4. *κρηπῖδα μὲν βεβαιοτάτην ἅπαντι τῷ ἔργῳ βαλόμενος*. Credo verum esse *(ὑπο)βαλόμενος* Cf. Xen. Anab. III 4 *κρηπὶς δ' ὑπῆν λιθίνη*, Dem. Enc. 9 *τῷ τοὐμὸν μὲν οὐκ ἔχειν ἑδραίαν τινὰ κρηπῖδα τῶν ἐπαίνων ὑποβάλλεσθαι πλήν γε τῆς ποιητικῆς αὐτῆς*, in quibus verbis malim *ὑποβαλέσθαι*; praeterea sententia postulat *τοῖς ἐπαίνοις*.

Praepositio excidit et c. 3 *(ἐγ)γεγυμνασμένου* cf. c. 2, D. Meretr. IX 5, Lexiphan 22, et c. 6 *(ἐν)στῆναι* (in fine iam Herw. correxit *(ἐλ)λούσασθαι*); articulus excidit c. 8 *(τὰς) παλαίστρας*.

Ceterum nullam video causam, cur hic libellus Luciano abiudicandus sit, ut fecerunt Jacobitius et Sbtius; multo maiore elegantia conscriptus est, quam oratio de Domo, ut recte iudicavit Rothsteinius pg. 31. Attende etiam ad

haec verba c. 3 Lucianea: *παῖδας ἀποφαίνε.. τινάς*, quae etiam leguntur: de Morte Per. 11 et Pseudolog 2; quibuscum compara Dem. Enc. 32 *οἱ δ' Ἀττικοὶ ῥήτορες παιδιὰ παραβάλλειν τῷ τούτου κρότῳ κτλ.*, ubi ipse Lucianus *παῖδες* dixisset.

BACCHUS.

C. 5. *ὅτι ἢν καὶ νῦν ὡς πρότερόν ποτε τὴν τελετὴν ἐθελήσωσιν ἐπιδεῖν πολλάκις καὶ ἀναμνησθῶσιν .... ἐκβακχεύσειν καὶ αὐτοὺς καὶ πολλάκις μεθ' ἡμῶν ἐρεῖν τὸ εὐοῖ.* Molestum mihi est prius illud *πολλάκις*, coniunctum cum *νῦν τὴν τελετὴν ἐπιδεῖν*, cum non uno eodemque tempore saepius hoc faciant; parva transpositione locus sanatur, scribendo: *καὶ πολλάκις*.

C. 7 Senex *αὐτίκα ἐπὶ πολὺ ἄφωνός ἐστι*, deinde fit *λαλίστατος ἐξ ἀφωνοτάτου* an *ἐξ ἀφώνου*?

Obiter in HERCULIS c. 3 *ἐξ* expungo in verbis *ἐξ ἐκείνης ἑλκομένους αὐτοὺς ἐποίησε* coll. D. D. VI 3, Piscat. 12, Hermot. 68, 73, Philopseud. 23, de Calumnia 56 et Cob. V. L. pg. 115, et in MUSCAE ENCOMII c. 8 (*αἰ*) *αἶγες* corrigo et transeo ad:

ADVERSUS INDOCTUM.

C. 7. *ἀναγιγνώσκεις δὲ αὐτὸ βαρβαρίζων καὶ καταισχύνων καὶ διαστρέφων.* Vatic. 87 exhibet *καὶ διαστρέφων καὶ καταισχύνων* qua lectione confirmatur mea suspicio verba *καὶ καταισχύνων* magistro deberi explicanti *καὶ διαστρέφων*, et in marginem esse releganda.

Non opus est multis verbis uti ad probandum c. 11 legendum esse: *τὴν λύραν δὲ αὐτῇ ὑπηχεῖν* (lyra capiti succinebat), c. 12 *πυθόμενον* pro *πυνθανόμενον*, vitium saepius obvium, c. 16 *τίνα γὰρ ἐλπίδα καὶ αὐτὸς ἔχων [ἐς] τὰ βιβλία καὶ ἀνατυλίττεις ἀεὶ καὶ διακολλᾷς*, quo facto et longe elegantior evadet sententia et sequentia verba

obiectum habebunt, quo vix carere possunt. Sitne praeterea hic ἀνατυλίττειν legendum an ex aliis libris ἀνελίττειν, equidem non ausim diiudicare; hoc legitur v c. huius libri c. 27, Xen. Mem. I 6, 14.

C. 20. ὡς ἀληθεύοις τοὺς ἐπαίνους αὐτῶν. Hic unicus locus est, ubi ἀληθεύειν transitive usurpatum est contra constantem Luciani usum, qui ἐπαληθεύειν transitive, ἀληθεύειν intransitive adhibere solet. Cf. ἀληθεύειν de Merc. Cond. 6, Ver. Hist. I 4, Rhet. Praec. 8, Fugit 19, Dem Enc. 44; ἐπαληθεύειν de Saltat. 70, Musc Enc. 7, de Calumnia 10, diss cum Hesiodo 7, Saturn. 9, Conv. 29, D. Meretr. III 2 ἀνασχέσθαι καὶ ἐπαληθεύειν τὸ σκῶμμα, ubi Sakorraphus ἀνασχέσθαι [καὶ] ἐπαληθεῦον corrigit, cuius correctionis necessitatem prorsus non perspicio, neque ita legit scholiasta, nam scripsit: ἐπαληθεύειν — ἀληθινὸν ποιεῖν. Cf. praeterea Thuc. IV 85, VIII 52, ubi scholion: ἐπαληθεύειν — βεβαιοῦν. Luculenter igitur apparet ὡς (ἐπ)-αληθεύοις unice verum esse

Tandem adnoto in c. 24 me verba τοὺς βιβλιογράφους pro interpolatione habere, cuius suspicionis ansam dant lectiones codd. Vat. 87 et Marc. 434,,qui τοὺς omittunt et c. 25 praestare legere: οὐδὲ γὰρ κύων παύσαιτ' ἂν ἅπαξ σκυτοτραγεῖν μαθοῦσα pro ἅπαξ παύσαιτ' ἄν.

CALUMNIAE NON TEMERE CREDENDUM.

C. 5. πάνυ πενθικῶς τις ἐσκευασμένη — σκευάζειν locum habet in culina; de vestitu ἐνσκευάζειν dicendum esse, satis notum est. Cf. Cob. V. L. pgg. 163, 228

Satis levia sunt haec: c. 13 ὡς γοῦν ἐπὶ (τὸ) πολύ. Dicit enim Lucianus aut ὡς τὸ πολύ aut ὡς ἐπὶ τὸ πολύ; c. 14 malim αὐτὴν (pro αὐτοὶ) ἁρμοζόμενοι (τὴν διαβολὴν sc.); c. 16 ὑπωρχήσατο pro προσωρχήσατο; c. 21 τὴν ἅλωσιν συμπροθυμούμεναι pro τῇ ἁλώσει coll. Thuc. V. 17

προὐθυμήθη τὴν σύμβασιν. Gravius corruptum videtur c. 17, ubi suspiceris aliquid excidisse, veluti: ἔθυον (αὐτῷ ὥσπερ) παρέδρῳ καὶ ἀλεξικάκῳ θεῷ.

C 16 Demetrium quendam Platonicum aliquis calumniabatur apud Ptolemaeum, cui Dionyso cognomen, ὅτι ὕδωρ τε πίνει καὶ μόνος τῶν ἄλλων γυναικεῖα οὐκ ἐνεδύσατο ἐν τοῖς Διονυσίοις, quas calumnias ut discuteret ἔπιέ τε πάντων ὁρώντων καὶ λαβὼν ταραντινίδιον ἐκυμβάλισε καὶ ὑπωρχήσατο. Non opus erat dicere eum bibisse. nam hoc et antea faciebat (aquam sc.), sed dicendum erat eum v i n u m bibisse; excidit οἶνον post ἔπιέ τε (οἶνον).

C. 31. ἀποδόντα καὶ τῷ διαβάλλοντι τὸν φθόνον. Rothsteinius dicit haec verba sincera esse non posse, sed fortasse scriptum fuisse τὸν (imo τὴν) ψῆφον, illud recte, hoc minus. Melius Guyetus τὸν λόγον proposuit. Sed cur tandem ὁ διαβάλλων solus nominatur? quasi unquam periculum sit, ne ille postponatur. Omnia plana forent, si scriberetur: ἀποδόντα καὶ τῷ (διαβαλλομένῳ καὶ τῷ) διαβάλλοντι τὸν λόγον; ita optime sequeretur: τῆς ἑκατέρου διανοίας. Contenti simus necesse est hac incerta suspicione.

PSEUDOLOGISTA SIVE DE APOPHRADE.

C 1. correcto [συν]είληφας (cf. sequentia), vulgatam lectionem tueor c. 3 οὐδὲ δεῖ τινος τοῦ ἀποδύσοντος τὴν λεοντῆν contra Hartmannum (St. Cr. pg. 42) et Herwerdenum, qui pronomen indefinitum abesse malunt. Cf. e. g. paulo ante: οὔτε εἶναί τινα νομίζω τὸν ἀγνοοῦντα, Abdic. 3, Jov. Trag. 17 ibique Schwartzius.

Excidit c. 4 ἄν in verbis μηδὲν (ἄν) αἰτιάσασθαί σε et pronomen με c. 25 σχολὴν ἄγειν (μ') ἐᾷς.

C. 9. ἐλελήθει δὲ καθ' αὐτοῦ τὸ ὕστατον τεκμήριον ἀπαιδευσίας ἐκφέρων, viri docti omiserunt τὸ ἔσχατον corrigere. Haec confusio frequens est; in hoc ipso libello c. 19

τῶν ἐσχάτων reposuit Herwerdenus; recte legitur adv. Ind 24, Herc. 1 γέρων ἐς τὸ ἔσχατον, contra Hermot. 9 γέρων ἐς τὸ ὕστατον, pro quo Cob. V. L. pg 241 ἔσχατον flagitat, invito Fritzschio, qui comparat Apolog. 4 ἐν γήρᾳ δ' ὑστάτῳ, ubi fortasse etiam ἐσχάτῳ reponere praestat.

De Domo

C. 6. καὶ ὅτῳ μὴ ἐν τῇ ὄψει ἡ κρίσις, ἀλλά τις καὶ λογισμὸς ἐπακολουθεῖ τοῖς βλεπομένοις. Non in solis oculis iudicium esse debet, sed ratio etiam visa consequatur necesse est. Nonne verum videtur: μὴ ἐν τῇ ὄψει (μόνῃ) ἡ κρίσις?

C. 12. ὅτε, εἰ καὶ παντάπασιν ἠπειρώτης καὶ ἀπειρόπλους τις εἴη, πάντως ἂν ἐθελήσειε καὶ αὐτὸς ἐμβῆναι καὶ περιπλεῦσαι καὶ πολὺ ἀπὸ τῆς γῆς ἀποσπάσαι. Fritzschius Q. L. pg. 202 εἰ μή pro εἰ καί poposcit, quam correctionem amplectendam esse arbitror, quamquam Jacobitius et Dindorfius eam spreverunt. Deinde recte Schwartzius ἀπό ante τῆς γῆς delevit, quam emendationem multis probavit exemplis. Sed etiam aliud est in his verbis quod correctione indigere mihi videtur; quid enim hic περιπλεῦσαι est? Qui animi causa navem conscendunt παραπλέουσι, ut faciunt delicatuli illi adulescentuli apud Alciphron. I 12 γαληνιῶντες τοῦ πελάγους (cf. nostro loco ἡ θάλαττα ἱκανὴ προκαλέσασθαι καὶ εἰς ἐπιθυμίαν ἐπισπάσασθαι ἐν γαλήνῃ φανεῖσα); apud hunc quoque perperam περι — pro παραπλεῦσαι legitur, quod iamdudum correxit Cob. V. L. pg. 44.

Addito articulo c. 16 καὶ (ἡ) σάλπιγξ, emblema deprehendo c. 19 in verbis ὡς δὲ ὁ μῦθος βούλεται καὶ λέγεται; postrema duo vocabula omnino servare nolim, cf. Hartmannus ad Hermot. 31 (St. Cr. pg. 35) et Schwartzius ad Demonact. 48.

C. 21. Pro πάντα ἀποβλέπητε potius exspectaverim πάνυ vel πάντως, sed cf. Asin. 22, qui locus hunc fortasse satis tuetur; c. 31 malim καὶ (πάλιν) πατὴρ γίγνεται: paternum animum rursus induit.

PATRIAE ENCOMIUM.

C. 10. οἱ μὲν γὰρ ἐπήλυδες καθάπερ νόθοι ῥᾳδίας ποιοῦνται τὰς μεταναστάσεις. Nonne hic perperam adiectivum pro adverbio usurpatum (cf Cob. V. L. pg. 152) et legendum est ῥᾳδίως? ποιοῦνται τὰς μεταναστάσεις nihil aliud est quam μετανίστανται; migrationes facile suscipiunt; de facilitate commigrationum non est sermo.

Libellum DE DIPSADIBUS, cur Thimmius (Q L. c. 4 pg. 4) rettulerit inter „declamatiunculas mere sophisticas" neque inter προλαλίας, ut reliqui omnes faciunt, (cf. Rothsteinius Q. L pg. 119, Rohdeus, der Gr. R. u s. V. pg. 309, 2) non intelligo.

DISSERTATIO CUM HESIODO.

C. 5. κἂν εἴ τι ἐν τῷ τῆς ποιήσεως δρόμῳ παραρρυὲν λάθῃ, πικρῶς τοῦτο ἐξετάζειν κτέ.

Praeter hunc locum non nisi de Merc. Cond. 35 κἂν εἴ τι σολοικίσαντες τύχωσι post κἂν εἰ coniunctivum vidi. Cf Fugit 14 κἂν εἰ βούλοιτο, de Morte Per. 15 κἄν εἴ τις ἐπιχειρήσειε, Pseudolog. 17 κἂν εἴ τις — ἴδοι, Rhet. Praec. 11 κἂν εἰ — εἴποι τι, D. Meretr. VI 3 κἂν εἰ διψῶσα τύχοι, Saturn. 37 κἂν εἴ τι — ἐπιψεύδοιντο. Tandem conferendus est Navig. 1 κἂν εἰς Κόρινθον δέοι — ἀπιέναι, ubi non dubito κἂν (εἰ) εἰς K. rescribere. Etiam locus noster in Hesiodo facile corrigi potest scribendo λάθοι pro λάθῃ. Quomodo vero locus in de Merc Cond. corrigendus sit, paulo dictu difficilius Violentius erit τύχοιεν rescribere, lenius vero εἰ expungere ut κἂν sit καὶ ἐάν. Vide e. g. Pseudolog. 13 κἂν ἐκμάθῃς αὐτό, πᾶν ἡμῖν εἰδὼς ἔσῃ,

Patriae Enc. 10, 11, de Merc. Cond. 12 et saepius. Credere autem vix possum, Lucianum εἰ cum coniunctivo usum esse, nam ut vere dixit Schwartzius ad Asin. 4: „in εἰ, cum coniunctivo iuncto, plectitur grammatica." Hodie nullus locus ex Luciano citari potest, ubi sine controversia coniuctivus post εἰ legitur. Cf. criticorum observationes ad Catapl 7, D. Mort. III 2, Nigrin. 13, Anach. 18, Timon. 19, Q. Hist. Conscr. 39.

Apte huic quaestioni aliam adnectere potero: de usu optativi apud Lucianum post ἤν, ὁπόταν, ἐπειδάν, quem defendit Sbtius ad de Hist. Conscr. 5 „der Optativ nach ἐάν, steht bei späteren Prosaïkern nicht selten statt des in der klassischen zeit gewöhnlichen coniunctivs. Vgl. de Saltat. 79." De aliis non nego, de Luciano minime affirmo. Ex omnibus locis, ubi Jacobitius post has coniunctiones optativum exhibet, nullus intactus evasit e criticorum manibus. Timon. 39, Hermot. 53 (ubi Fritzschius Belino assentitur εἰ μὴ βιῴη esse legendum), Necyom. 12, Q. Hist. Conscr. 5, Amor. 16, de Saltat. 79 ὥστε ἂν ἐρῶν τις — παρέλθοι, ἐσωφρονίσθη, ubi non scribendum est cum Dindorfio: ἢν — παρέλθῃ, sed salvo optativo, qui hic fere necessarius est: ὥστε κἂν (εἰ) ἐρῶν τις — παρέλθοι.

Referri huc quoque poterunt loci, quales sunt Jov. Trag 12 ἔνθ' ἂν ἐθέλοι; c. 7 ὡς ἂν — ἔχοι ubi Schwartzius ἐθέλῃ et ἔχῃ requirit.

C. 6. τὰς ἀποβάσεις προδηλοῦντα τῶν τε ὀρθῶς καὶ κατὰ καιρὸν πραττομένων καὶ τῶν παραλελειμμένων τὰς ζημίας. Postrema duo vocabula emblema esse suspicor; neque τὰς ἀποβάσεις et τὰς ζημίας recte sibi opponuntur neque positio particulae τε in τῶν τε πραττομένων καὶ τῶν παραλελειμμένων quidquam addi sinit. Facillime addi potuerunt a magistro explicante exitum eorum, quae recte et temperi

peraguntur, non eundem esse atque eorum, quae sunt praetermissa.

Denique c. 9 lego ἐπίπνοια pro ἔμπνοια coll. c. 7, pro Lapsu in Salut. 15, Dem. Enc. 5, 11.

NAVIGIUM SIVE VOTA.

C. 8. οἶδα δέ ποτε καὶ αὐτὸς παραπλεύσας Χελιδονέας, ἡλίκον ἐν τῷ τόπῳ ἀνίσταται τὸ κῦμα καὶ μάλιστα περὶ τὸν λίβα, ὁπόταν ἐπιλάβῃ καὶ τοῦ νότου. Nota confusione praepositionum περί et παρά duplex vitium in his verbis ortum est; promonturium non παρα — sed περιπλέομεν, inprimis si tam periculosum est, quam Chelidoniae hic describuntur. Iterum in περὶ τὸν λίβα peccatum est; spirante Africo παρὰ τὸν λίβα erat dicendum; cf. παρὰ πότον, παρὰ πάντα τὸν βίον et similia. Denique vitium alere videntur verba: ὁπόταν ἐπιλάβῃ καὶ τοῦ νότου „cum notum etiam assumpsit." Cur vero genitivus? Scribendum arbitror: καὶ τὸν νότον.

C. 15. μὴ γὰρ οἴου σοὶ μὲν εἶναι ῥᾴδιον τηλικαῦτα πλοῖα κτᾶσθαι μήτε πριαμένῳ μήτε ναυπηγησαμένῳ, ἡμεῖς δὲ οὐκ αἰτήσομεν κτλ. Hartmannus St. Cr pg 11 „Scrabram hanc esse orationem nemo negabit, sed manum abstineo " Alterutrum statuendum erit, „scabram" hanc orationem aut ipsi Luciano esse imputandum (quod mih' non adeo improbabille videtur), aut scribendum esse: ἡμεῖς δὲ (ὅτι) οὐκ αἰτήσομεν.

C 19 'Αλλ' ὑπὲρ ἀσφαλείας τοῦτο ἔγωγε τῆς σῆς ἐποιησάμην, κτλ. Duplici de causa ἐποιησάμην corruptum esse arbitror, et quod activa saltem forma fuerat usurpanda, et ipsius verbi ποιεῖν significatio huic loco minime quadrat Sententia verborum haec esse debet: „Ego hoc, ut tuae saluti prospiceren, meditabar", quam ut verbis extundas, non gravi mutatione opus est; scribe προὐνοησάμην et omnia recte se habebunt.

C. 25. *τοῖς φίλοις δὲ ὑμῖν, Σαμίππῳ μὲν εἴκοσι μεδίμνους ἐπισήμου χρυσίου παραμετρῆσαι τὸν οἰκονόμον ἐκέλευσα ἄν.* Quid sit *παραμετρεῖν* ex his exemplis disci potest: Prometh. II 15 *οὕτω γὰρ δὴ καὶ τὸ μέγα δόξειεν ἂν μέγα, εἰ τῷ μικρῷ παραμετροῖτο,* pro Imagg. 21 *ἀλλὰ διακρίνῃς καὶ παραμετρῇς τῷ οἰκείῳ μέτρῳ ἑκάτερον,* metiendo comparare. Nisi forte credis h. l. prorsus alia significatione *παραμετρεῖν* a Luciano esse usurpatum, auctor tibi sum ut legas *ἀπομετρῆσαι.* Cf. D. Mort. XII 2, D. Meretr. IX 2 (Xen. Hell. III 2, 28), Amor. 27 *γαστρὶ τὴν ὀφειλομένην ἀπομετροῦμεν ἀπόλαυσιν.* Notio *τοῦ ἀπομετρεῖν* etiam flagitatur Imagg. 15, ubi hodie legitur: *ἐπιμέτρει δ' οὖν,* sed rescribendum est *ἀπομέτρει δ' οὖν; ἐπιμετρεῖν* est: in cumulum adicere, corollarium addere, cf. D. Mort. V. 1, Navig 18, 19; *προσεπιμετρεῖν* de Merc. Cond. 29, Alex. 30.

C. 45. *τί δή ποτε οὐχ εἷς δακτύλιος ἅπαντα ταῦτα δύναταί σοι, ἀλλὰ τοσούτους περιημμένος βαδίζῃ, τὴν ἀριστερὰν πεφορτισμένος κατὰ δάκτυλον ἕνα; κατὰ δάκτυλον ἕνα* „suspecta videntur", Guyetus. Guyeto non magis suspecta sunt verba, quam mihi; verum arbitror: *κατὰ δάκτυλον ἕκαστον,* quod confirmatur sequentibus: *μᾶλλον δὲ ὑπερπαίει ὁ ἀριθμός, καὶ δεήσει καὶ τὴν δεξιὰν συνεπιλαβεῖν*: repleti annulis laevae manus digiti omnes capere non possunt, dextrae auxilium ferendum est De corrupto *ἕκαστος* cf. Cob. N. L. pg. 726: „In libris *ἕκαστος* sic scribi solet, ut exitus vocabuli lectoribus supplendus relinquatur, unde multi errores suscepti sunt." De annulorum multitudine cf. Galli 12 *καὶ δακτυλίους βαρεῖς ὅσον ἑκκαίδεκα ἐξημμένος τῶν δακτύλων,* Nigrin. 13 *καὶ τοὺς δακτυλίους προτείνοντες* (pro *δακτύλους* Marcilius); Timon 20 divites lepide *πορφυροῖ καὶ χρυσόχειρες* appellantur.

C. 46 in fine: *ἐμοὶ δὲ καὶ τοῦτο ἱκανόν. ἀντὶ πάντων*

θησαυρῶν καὶ Βα*βυλῶνος αὐτῆς, τὸ γελάσαι μάλα ἡδέως ἐφ᾽ οἷς ὑμεῖς ᾐτήσατε τοιούτοις οὖσι καὶ ταῦτα φιλοσοφίαν ἐπαινοῦντες*. Non aeque grave est, si homines, qui philosophiae laudatores tantummodo sunt, vanos se et futiles praebent ac si ita se ostendunt homines, qui ipsi philosophiae operam dant, eam exercent et philosophos se esse postulant. Mihi non ita veri videtur dissimile, Lucianum paulo acerbius scripsisse: *καὶ ταῦτα φιλοσοφίαν ἐπασκοῦντες*.

Hic apponam, quae minoris quidem momenti, neque tamen negligenda mihi videntur: c. 11 *ὡς δοκεῖ* pro *ὡς δοκεῖς* est scribendum; c. 18 verba *τοσοῦτοι δαρεικοί* interpolatori reddantur (cf. c. 19, 25); c. 20 inseratur articulus *μετατιθεὶς* (*τὸ*) *χρυσίον* (est enim illud aurum, de quo supra sermo fuit); c. 29 adiectivum *θαυμαστόν* e textu eliminaverim, quod ad *τοιοῦτον* explicandum additum videtur; saltem scribendum fuerat: *οὕτω θαυμαστὸν β. κ. στ.*; c. 31 malim (*μ᾽*) *ἐχειροτόνησαν*; c 44 *ἂν* excidit post *ἀράμενος* coll. paulo post *προσθέμενος ἂν — παρεῖχον*; sub finem huius capitis (*ἢ*) *μήτε ἀπολέσθαι — δυναμένη* et c. 46 rescribo *καὶ αὐτὸς εὖξαι ἤδη ποτε* pro *εὔξῃ*; iam *ἤδη* eo ducit.

Dialogi Meretricii neque multis neque gravibus vitiis iam laborant. Haec tamen mihi memoratu digna videntur:

I 1 *καὶ νῦν σοι μὲν ἐκεῖνος οὐ πρόσεστι κτέ.* Madvigius *πρόσεισι* collato IX 4, X 1 (cf. etiam Amor. 49); persanatus demum locus erit, si *οὐ*(*κέτι*) correxeris.

I 2. *ὃς οὐχ ἑωράκει τὰς μὲν τρίχας αὐτὴν ἀραιὰς ἔχουσαν καὶ ἐπὶ πολὺ τοῦ μετώπου ἀπηγμένας· τὰ χείλη δὲ πελιδνὰ καὶ νεκρικὰ καὶ τράχηλος λεπτὸς καὶ ἐπίσημοι ἐν αὐτῷ αἱ φλέβες καὶ ῥὶς μακρά.* Constructio impedita est; non possunt *τὰς μὲν τρίχας* et *τὰ χείλη δέ* separari, ut facit

Jacobitius, nec post accusativos illos recte sequuntur nominativi. Continuata sententia sic legerim: *ὃς οὐχ ἑωράκει τὰς μὲν τρίχας — τὰ χείλη δὲ πελιδνὰ καὶ νεκρικὰ καὶ (ὅτι ὁ) τράχηλος λεπτὸς καὶ (ἡ) ῥὶς μακρά.*

II 2. Malim *ἐδικάσαντο* legere pro *ἐδικάσατο*, quam cum Herwerdeno post hoc verbum *αὐτῷ* inserere

Verbum aegre desidero VII 2 *ἀλλὰ καλός (ἐστι) καὶ ἀγένειος καί φησίν.*

Bis in Reitziana editione vera forma servata est et VIII 2 *ἑταιρίσασα* (cf. VII 3) et X 2 *ἐλύπησα* (reliqui omnes male *ἑταιρήσασα* et *ἐλύπησε*).

X. 3. *ὁ πατὴρ γὰρ Ἀρισταινέτῳ παρέδωκέ με φιλοσοφεῖν αὐτῷ*, et ex ipsa re apparat *(συμ)φιλοσοφεῖν* esse reponendum et ex D. Mort. XVIII 2, Hermot. 11.

Paulo post *πανευδαίμονα* melius quadrat quam *πάνυ εὐδαίμονα*, nam c. 4 promittit *ὡς ἰσόθεον ἀποφανεῖ αὐτόν.*

XII 1. *ὑποχείριον ἔχων με τετηκυῖαν ἐπὶ σοί.* *Τήκεσθαι ἐπί τινι* non nisi h l. legitur in Luciano; qui aliquam deperit, dicitur *μεμηνέναι ἐπί τινι* vel *ἐπιμεμηνέναι τινί*; illud in hoc ipso dialogo legimus c. 2 *γύναιον ἄθλιον λυπῶν μεμηνὸς ἐπὶ σοί*; hoc Amor. 22 *λέοντες οὐκ ἐπιμαίνονται λέουσι*, de Syria Dea 21, 22 et in ipso Luciano Timon. 26, D. Mar. I 1. Rescribo igitur *μεμηνυῖαν ἐπὶ σοί.*

C. 2. Ioessa, ab amatore neglecta, rogat, quae huius rei causa sit: *τί σε ἢ μέγα ἢ μικρὸν ἠδίκησα ἢ ἐλύπησα ἐγώ; τίνα ἕτερον εἶδον; οὐ πρὸς μόνον σε ζῶ;* Quid est *ζῆν πρός τινα*? E praecedentibus apparet scribendum esse: *οὐ πρὸς μόνον σε βλέπω;*

XIV 2 corrigo *ἀλλὰ (συν)εκοιμήθης νύκτας δύο.*

De Morte Peregrini.

C. 2 *μᾶλλον δὲ καὶ ἀκούω βοῶντος, οἷά σε εἰκὸς βοᾶν.*

Verbum *βοᾶν* expungendum est Cf. D. Mort. XII 2 *οὐδ' ὡς Λίβυν εἰκὸς ἦν*, Navig. 41 *ὥσπερ εἰκὸς ἄνδρα συνετὸν καὶ .... εἰδότα*, Fugit. 12 *οἵας εἰκὸς τοὺς τοιούτους*, Saturn. 11 *ὥσπερ εἰκὸς ἦν θεόν*; denique Somn. 14 *τέλος δὲ, ὥσπερ τὴν Νιόβην ἀκούομεν, ἐπεπήγει.*

C. 3. *ἐγὼ δὲ ἐπεὶ τάχιστα εἰς τὴν Ἦλιν ἀφικόμην, διὰ τοῦ γυμνασίου ἀλύων, ἐπήκουον κτλ.*, *ἀλύων* ex coniectura Schaeferi repositum est pro codd. lectione *αὐτῶν*. Fritzschius lacunam statuit in hunc modum supplendum: *διὰ τοῦ γυμνασίου (ἰὼν πολύ τι πλῆθος ἀνθρώπων συλλεγόμενον ἑώρων καὶ παραστὰς πλησίον) αὐτῶν, ἐπήκουον*, sine ulla necessitate, ut mihi videtur. Sbtius coniecit *ἀνιών*, sed malim cum Struvio *αὐτῶν ἰών*; nam quod Fritschius contendit „at *αὐτῶν* isto quidem modo servari non potest," aperte fallitur vir doctus. Vide similis usus haec exempla: Nigrin 1 *εἰς 'Αθήνας — ὅτι πολλαὶ παρ' αὐτοῖς εἰσιν*; Timon. 9 *εἰς τὴν 'Αττικὴν — ἐπεπόλασαν αὐτοῖς*; D. Mort. XIII 2 *ἡ 'Ελλὰς — κολακεύοντες καὶ — αἱρούμενοι*; adv. Ind. 11 *προσενεχθῆναι τῇ Λέσβῳ, κἀκείνους—καταθάψαι*; D. Meretr. V 4 *ἤκουσα — τῆς Βοιωτιας αὐλητρίδος 'Ισμηνοδώρας διηγουμένης τὰ ἐφέστια παρ' αὐτοῖς*, ubi nescio annon recte verba postrema *παρ' αὐτοῖς* Herwerdenus expunxerit.

C 15. *χρηστὸν, ὡς ἔφασαν οἱ ἰδόντες, γέροντα.* Quomodo videre poterant, eum bonum esse virum? Recte Bernaysius in noto libello „Lucian und die Kyniker" vertit „wie seine Bekannten sagten." Apparet denuo *ἰδόντες* et *εἰδότες* esse confusa. (Cf. Schwartzius ad Hermot 55; Mehlerus ad Ver. Hist. I 2; etiam Q. Hist. Conscr. 27 malim: *μηδὲ τοῖς οὐκ ἰδοῦσιν ἐξηγοῖτο* pro *οὐκ εἰδόσιν*)

C. 32 Templi posticum repletum erat hominibus, partim Proteum increpantibus, partim eius consilium laudanti-

bus: *ὥστε καὶ εἰς χεῖρας αὐτῶν ἦλθον οἱ πολλοί* „adeo ut etiam ad manus multi illorum venirent" vertit interpres apud Reitzium; „die mehrfach handgemein wurden" Bernaysius. Legerim [*οἱ*] *πολλοί* nec semel ita peccatum est; et c. 13 a Sbtio et c. 21 a Fritzschio *οἱ* omissum est, et c. 28 cum eodem Herwerdenus *ἐν* [*τοῖς*] *πολλοῖς τοῖς ἀνοήτοις* flagitat.

C. 36 corrige: *μέγιστον* (*ὄν*) quod vitium etiam notavi: Fugit. 6 *ῥᾷστον* (*ὄν*), Phalar. I 3 *ἀναγκαῖον* (*ὄν*), Abdicat. 5 *ὁμοδίαιτος* (*οὖσα*), Catapl. 4 *ἤδη ἐν Ταινάρῳ* (*ὄντα*).

C. 37. *ἐγὼ δὲ τοὺς μητρῴους μὲν δαίμονας ἐπιβοώμενον μὰ τὸν Δί' οὐ σφόδρα ᾐτιώμην κτέ.* Parum recte hic verbum *ᾐτιώμην* usurpatum est, pro quo parva mutatione *ἠνιώμην* rescribendum est. Confer locos huic simillimos Bis Accus. 11 (in fine) et de Electro 3 extr.

FUGITIVI.

C. 12. *σκυτεύειν ἢ τεκταίνειν ἢ περὶ πλυνοὺς ἔχειν ἢ ἔρια ξαίνειν, ὡς εὐεργὰ εἴη ταῖς γυναιξὶ καὶ εὐμήρυτα καὶ κατάγοιτο εὐμαρῶς, ὁπότε ἢ κρόκην ἐκεῖναι στρέφοιεν ἢ μίτον κλώθοιεν.* Verba *ὡς* — *κλώθοιεν*, quamquam per se ipsa spectata nihil habent, quo offendant, aliena tamen esse a nostro loco, mihi persuasum habeo Eodem iure, quo post *ἔρια ξαίνειν*, talis explicatio sequi potuerat verba praecedentia: *σκυτεύειν, τεκταίνειν, περὶ πλυνοὺς ἔχειν.*

Quae antecedunt verba, ita constituit Herwerdenus:

ΦΙΛ. *καὶ μὴν ἄκουε — ἡλίκα· ἔστι γὰρ μιαρόν τι φῦλον — ὑπ' ἀσχολίας (ἄλλας γὰρ τέχνας οἵας εἰκὸς τοὺς τοιούτους ἐμανθανε, σκυτεύειν ἢ .... κλώθοιεν) τοιαῦτα τοίνυν κτέ.*, delens post *ἀσχολίας* verba *ἐδούλευε* — *ἢ ἐθήτευε*, ut quae misere abundent post *δουλικὸν* et *θητικόν* nec sane *δουλεία καὶ θητεία* sint *τέχναι.*

Quodsi vere haec Herwerdenus suspicatus est (nec

THESES.

U of M

THESES.

I.

Liber DE PARASITO non ab ipso Luciano profectus esse videtur.

II.

Male vulgo statuitur Lucianum, munere, quo in Aegypto fungebatur, adempto, iterum ad rhetoricas declamationes descendisse et senem terras pererrasse.

III.

TOXARIS S. AMICITIA a nonnullis viris doctis (Bekkero, Sbtio, Fritzschio) temere Luciano abiudicatur.

IV.

Hom. Iliad. XVIII, 410 sq.:

ἦ, καὶ ἀπ' ἀκμοθέτοιο π έ λ ω ρ α ἴ η τ ο ν ἀ ν έ σ τ η
χωλεύων· ὑπὸ δὲ κνῆμαι ῥώοντο ἀραιαί.

Legendum censeo:

ἦ, καὶ ἀπ' ἀκμοθέτοιο π ε λ ώ ρ ι ο ν ἄ κ μ ο ν' ἔ θ η κ ε ν.

Alter versus fortasse e textu eiciendus est.

V.

Arist. Eq. 526:

εἶτα Κρατίνου μεμνημένος, ὃς πολλῷ ῥ ε ύ σ α ς ποτ' ἐπαίνῳ
διὰ τῶν ἀφελῶν πεδίων ἔρρει, κτλ.

Lege: *βρίσας.*

VI.

Soph. O. C. 1591 sq.:

ἃ δ' ἦν τὰ πραχθέντ', οὔθ' ὁ μῦθος ἐν βραχεῖ
φράσαι πάρεστιν οὔτε τἄργ' ὅσ' ἦν ἐκεῖ.

Altero versu deleto, in priore *οὐχ ὁ μῦθος κτλ.* legatur.

VII.

Thuc. II, 11: *οἵ ἄρχειν τε τῶν ἄλλων ἀξιοῦσι καὶ ἐπιόντες τὴν τῶν πέλας δῃοῦν μᾶλλον ἢ τὴν ἑαυτῶν ὁρᾶν.*

Scribendum arbitror: *ἢ (τεμνομένην) τὴν ἑαυτῶν (περι)ορᾶν,*

VIII.

Ibid. II, 102: *λέγεται δὲ καὶ Ἀλκμέωνι τῷ Ἀμφιάρεω, ὅτε δὴ ἀλᾶσθαι αὐτὸν μετὰ τὸν φόνον τῆς μητρός, τὸν Ἀπόλλω ταύτην τὴν γῆν χρῆσαι οἰκεῖν, κτλ.*

Pro *ὅτε δὴ* requiro *ὅτ' ἔδει.*

IX.

Ibid. III, 26: *ὅπως οἱ Ἀθηναῖοι ἀμφοτέρωθεν θορυβούμενοι ἧσσον ταῖς ναυσὶν ἐς τὴν Μυτιλήνην καταπλεούσαις ἐπιβοηθήσουσιν.*

Lege: *ἐπιβουλεύσουσιν.*

X.

Propert. IV, 11, 87:

Coniugium, pueri, *laudate* et ferte paternum:

Lege: *durate.*

M 10 U

XI.

Anth. Lat. (ed. Baehrens) 379, 13 sqq.:

Miror enim (fateor) et iam vix credere possum,
Quod cocus iste mihi sit respondere paratus,
De cuius manibus semper fit panis ad usus,
Quisve sit utilior, *audet* contendere mecum.

Verum arbitror: *aveat.*

XII.

Liv. XXI, 25: Cum haec de legatis nuntiata essent et *Mutina* praesidiumque in periculo *esset*, e. q. s.

Scribo: *Mutinam — esse.*

XIII.

Tacit. III, 3: .... ut *par maeror* et matris exemplo avia quoque et patruus attineri viderentur.

Legendum censeo: *pari maerore.*

XIV.

Amm. Marc. XIV, 1, 10: .... non *maturitate* vel consiliis mitigabat, ut aliquotiens celsae potestates iras principum molliverunt, e. q. s.

Ammianus scripsit: *auctoritate.*

XV.

Ibid. XV, 9. 8: euhages vero scrutantes *seriem* et sublimia naturae pandere conabantur.

Pro *seriem*, quae Valesii est suspicio pro codd. *serviani*, malim: *secreta.*

XVI.

Ibid. XXIII, 2, 3: Ipse autem Antiochiam egressurus Heliopoliten quendam Alexandrum Syriacae iuris dictioni praefecit *turbulentum* et saevum.

Legatur: *truculentum*.

XVII.

Cic. de Fin. III, 2, 8: Laboro autem non sine causa: nam et *avi* eius memoria moveor, e. q. s.

Pro *avi* cum Schützio *avunculi* legendum est.

XVIII.

Livia prius Q. Servilii Caepionis fuit uxor, quam M. Porcio Catoni, patri Uticensis, nupsit. (Cf Drumann IV pg. 15, Pauley).

XIX.

A⁰ 63 in ferenda lege Tullia de ambitu et comitia dilata sunt et Cicero legg. Aelia - Fufia solutus est, ut recte opinatus est Lange R. A. III pg. 245.

XX.

Reiciendum videtur Aristotelis testimonium, A. Π. c. 8 initio referentis, iam Solonem instituisse magistratuum sortitionem ἐκ προκρίτων.

ego refragabor), et mea suspicio etiam magis confirmatur (quis enim in parenthesi tolerabit tam inutilem digressionem), et scribendum erit ἐμάνθανον, quod cum post φῦλον admodum convenit cum Luciani more, tum fere necessarium fit propter sequentia μελετῶντες - ᾔδεσαν.

C. 19. Potestne quisquam discrimen, quamvis minutum, statuere inter ὀξύχολον et πρὸς ὀργὴν ῥᾴδιον? Credo posteriora verba, priora explicantia, magistro esse reddenda.

C. 27. Fritzschius ita legit: Πῶς; ἡμέτεροι δραπέται γὰρ ἐκεῖνοι ἅπαντες· mihi magis placet: Πῶς τὰ ὑμέτερα; (ἡμέτεροι) δραπέται κτλ.

C. 33. μαλάχῃ γε πρότερον μαστιγωθέντα. Fortasse praestat μαστιγωθέντε, quod verisimile est, ambos verberibus caesos esse Hanc autem poenam (malva verberari) non per iocum hic memorari, tanquam vanam et sine dolore, sed revera severam fuisse, contendit Sbtius (Lucian. pg. 96). Aliter iudicat v. d. Kock, qui ad Arist. Ran. 622 hunc quoque citavit locum.

SATURNALIA.

C. 2. E Reitziana editione recipe ἀτυχήσεις pro ἀτυχήσειας; paulo post suspicio me tenet, scriptorem dedisse καὶ γυμνὸν (ὀρχεῖσθαι καὶ) ᾄδειν Cf c 4 γυμνὸν ὀρχήσασθαι.

C. 4 Lego καὶ τῶν (ἄλλων) ἃ κατηριθμησάμην.

C. 6. εἰ μή τις Θυέστης ἦν καὶ ἀσεβεῖ ἀδελφῷ περιπεσὼν ᾔσθιε, καί omittit Marc. 434. Dindorfius edidit: εἰ — ἦν, ἀσεβεῖ ἀδελφῷ περιπεσών omisso ᾔσθιε. Verba interpolationi simillima (quid enim mirum, in margine explicatum fuisse: ἀσεβεῖ ἀδελφῷ περιπεσὼν ᾔσθιε?), fortasse effecerunt, ut εἴη male in ἦν mutaretur; cf statim post: εἰ μὴ ἀνάλγητος εἴη τοὺς ὀδόντας.

C. 7. Oratio multo concinnior et aptior erit, si parva mutatione legimus ἀναλαμβάνειν pro ἀναλαμβάνω, et c.

10 pro ἔπεμψα ἄλλο βιβλίον ἐγγράψας — ἄλλῳ βιβλίῳ ἐγγράψας. Dubium fortasse est c. 14 τῇ δὲ προ(τεραίᾳ) τῆς ἑορτῆς, certius tamen, quod c. 15 οἱ δ' ἀποκομίζοντες praepositionem ἀπό deleo. Cf. de Merc. Cond. (cuius libri argumentum cum nostro admodum conspirat) c. 37 ἕωθεν δὲ τρισκαίδεκα ἥκουσι κομίζοντες.

C. 17. ἀξίωμα ἢ γένος ἢ πλοῦτος ὀλίγον συντελείτω ἐς προνομήν. Iniuria, si quid video, editores spreverunt Pelleti coniecturam ἐς προνομίαν, Reitzio recte probatam. Cf. Abdicat. 23, ubi bis legitur προνομία = privilegium; quid sit προνομή, e Xenophonte notissimum. Confundi facile possunt propter scripturae similitudinem προνομή = pabulatio, προνομία = privilegium, προνομαία (Zeux. 10) = proboscis elephanti (προνόμιον Rhet. Praec. 17 vocabulum pessimae Graecitatis = ἀρραβών).

Sequuntur verba haecce: οἱ διάκονοι πρὸς χάριν μηδενὶ μηδέν, ἀλλὰ μηδὲ βραδυνέτωσαν μηδὲ παραπετέσθωσαν, ἔστ' ἂν αὐτοῖς δοκῇ, ὁπόσα χρὴ ἀποφέρειν, μηδὲ τῷ μὲν μεγάλα, τῷ δὲ κομιδῇ μικρὰ παρατιθέσθω κτλ.

παραπετέσθωσαν est coniectura Jacobsii, iure multis probata pro librorum παραπεμπέσθωσαν et παραπεμπέτωσαν. Herwerdenus (Plut. et Luc pg. 89 sq.): „corrige βραδυνόντων et παραπεμπέσθων et c. 18 προπινόντων et πεττευόντων, quales formae in his *legibus* sat multae feliciter servatae sunt." Mnem. 1871 pg. 293 sq. scripsit: „verba misere corrupta. Suspicor: ἀλλὰ μήτε βραδυνόντων μήτε παραπετέσθωσαν (sic!) ὡς ἂν αὐτοῖς δοκῇ, ὁπότε χρὴ αὐτὰ (sc. τὰ κρέα) φέρειν, μηδὲ τῷ μὲν μεγάλα κτέ. Non est, quod putant, sermo de apophoretis. Cf. c. 22 et 23."

Confusus ordo verborum turbas et corruptelas dedisse videtur, quas lenius sic correxerim: ἀλλὰ μήτε βραδυνόντων, ἔστ' ἂν αὐτοῖς δοκῇ, μήτε παραπετέσθων, μηδὲ ὁπόσων

χρὴ (παρα)φέρειν τῷ μὲν μεγάλα, τῷ δὲ κομιδῇ μικρὰ παρατιθέσθω. De μήτε — μήτε — μηδέ cf. quae dixi ad Anach. 16. Iure Herwerdenus ἀποφέρειν condemnat (de apophoretis ἀποφέρεσθαι erat dicendum, etsi Nigrin. 25 male activum legitur), et aut φέρειν cum eo scribendum est aut παραφέρειν quod legitur de Merc. Cond. 26. Cf. Xen. Cyr. I 3, 6; II 2, 4.

Illud βραδύνειν et παραπέτεσθαι bene illustrantur de Merc. Cond. 26 et inprimis Saturn. 22 ubi in verbis: ὡς ἐπ' ἴσης μετέχειν ἅπαντας.... ἢ ὅσον ἔστι τοῦ πλακοῦντος τὸ λοιπόν, expungo τό collato Fritzschio ad Hermot. 11 et D. D. V 2, Piscat. 29, Abdic. 10, Rhet. Praec. 12, Conv. 33. Simul pro ἔστι fortasse ἔτι corrigere praestat.

C. 18. Pro ἣν τις ἐθέλῃ legendum erit ἣν ἄν τις ἐθέλῃ (male Dindorfius ἥν τις ἐθέλει), nisi forte cum Paetzoltio verba expungere mavis, ut quae a scriba male huic legi adiuncta fuerint.

Breviter indico c. 21 cum Guyeto ἐπιτραγόντες rescribendum esse pro ἐπιτρώγοντες et paulo post ταῦτα γοῦν πάντως ἀπολούμενα pro ἀπολύμενα, ut et sententia suadet et sequens fut διαφθαρησόμενα. Contrarium accidit D. Meretr. X 1, ubi cum Dindorfio ὅν κάκιστ' ἐπίδοιμι ἀπολλύμενον (pro ἀπολούμενον) rescribendum est.

C. 23. ἐπιλαθόμενον καὶ pro καὶ ἐπιλαθόμενον requiritur et c. 25 suspicor in μόνος τῶν ἁπάντων latere μόνος τῶν ἄλλων, quae locutio Luciano admodum est in deliciis. Cf. v. c. Timon. 55, D. Mort. III 1, X 9, XX 4, XXII 2, (Paras. 14, de Sacrif 1), de Calumnia 16, Saturn. 8 et ubi non? Praecedenti versu levissima correctione scribendum erit: τὸ δὲ ἑτέρου (θεοῦ) ἂν εἴη, τοῦ νῦν ἄρχοντος.

C. 27. ἐπεί τοι οἴει με κτέ. Verum est ἔπειτ' οἴει με; saepe sententia interrogativa incipit ab εἶτα vel ἔπειτα.

C. 28 *καὶ γὰρ ἃ νῦν ἐποτνιῶ πρὸς ἐμέ, ὡς τοὺς μὲν ὑῶν καὶ πλακούντων ἐμφορουμένους, ὑμᾶς δὲ κάρδαμον ἢ θύμον ἢ κρόμμυον ἐπιτρώγοντας ἐν τῇ ἑορτῇ κτλ.* Ὑῶν *ἐμφορεῖσθαι* num apte dici possit, valde dubito et malim scribere *ὑείων*, quamquam scio saepe totum aprum apponi. Cf. Saturn. 22 et c. 28 in fine: *καίτοι οὐδ' αὐτοῖς ἐκείνοις ἡδύ ἐστιν [αὐτὸ]? καθ' ἡμέραν καὶ πέρα τοῦ κόρου ἐσθίειν τούτων, ἀλλ' ἴδοις ἂν αὐτοὺς οὕτω λαχάνων καὶ θύμου ὀρεγομένους ἐνίοτε, ὥσπερ οὐδὲ σὺ τῶν λαγωῶν καὶ ὑῶν.* Hic verba *τῶν λαγωῶν* paulo accuratus consideranda sunt. Fritzschius ad Q Hist. Conscr. 56 Luciano abiudicat formam *λαγωός* pro *λαγώς*, recte, opinor, et ibi corrigit post Hermannum *λαγῴοις* (idem Sbtius); contra ego credo cum *ὀρνέοις* et *συσὶν ἀγρίοις* melius componi *λαγῴς*. Cf. Navig. 23 *καὶ ὄψα πανταχόθεν καὶ σύες καὶ λαγὼ* (ita Guyetus recte pro *λαγώς*) *καὶ ὅσα πτηνὰ κτλ.*; Conv. 22 *ἐμοὶ γὰρ ἡ εὐδαιμονία οὐκ ἐν ὑὸς ἀγρίου μοίρᾳ ἢ λαγῴου ἢ πλακοῦντος* (*λαγὼ* rescribatur. Cf etiam Cob. V. L pg. 179).

Nostro igitur loco non magis ferri potest *τῶν λαγωῶν καὶ ὑῶν*; itaque Dindorfius, probante Fritzschio, edidit *τῶν λαγῴων καὶ ὑῶν* quod tamen ego improbo, nam aut scribendum est, ut iam legitur in ed. Reitziana: *τῶν λαγῶν* (imo *λαγὼν*) *καὶ ὑῶν* aut *τῶν λαγῴων καὶ ὑείων* ut Q. Hist Consc. 20 *πολλάκις ὀρνίθων* (melius Schaeferus *ὀρνιθείων*) *καὶ συείων καὶ λαγῴων προκειμένων* (de hoc verbo cf. Herwerd. ad hunc locum) Insuper adnoto recte *λαγώς* eiusque formas legi Somn. 9, Paras. 51, de Domo 24, Saturn 16; Soloec. 3 bis de industria Lycinus *σολοικίζει*.

Correcto *καπνῶδες* pro *καπνωδέστερον* c. 28 init., deinde c. 31 *ταῦτά ἐστιν οὐ πάνυ χαλεπὰ ὑμῖν ἀπὸ τοσούτων ἃ καλῶς ποιοῦντες ἔχετε,* non intelligo verba *καλῶς ποιοῦντες*.

Quomodo enim Saturnus dicere potest: recte facitis quod tantas habetis divitias? Imo bona fortuna utuntur, ut inde apparet, quod tam divites sunt. Fortasse perperam synonymum pro synonymo scriptum est, ut verum sit: ἃ καλῶς πράττοντες ἔχετε.

CONVIVIUM SIVE LAPITHAE.

C. 17. ὁ δὲ Ἱστιαῖος ὁ γραμματικὸς ἐρραψῴδει ὕπτιος (pro ὕστερος optime Rothsteinius) κατακείμενος καὶ συνέφερεν ἐς ταὐτὸ τὰ Πινδάρου καὶ Ἡσιόδου καὶ Ἀνακρέοντος. Commiscebat et conglutinabat trium poetarum carmina, quod Lucianus non per συνέφερεν sed procul dubio per συνέφυρεν expressit.

C. 33. ἀπέλαυσε δὲ καὶ ὁ Ἴων τῆς γειτονήσεως, οὐκ ἀνάξιος ὤν. Verba postrema sec. Fritzschium Q. L. pg. 208 procul dubio sincera sunt ut „et Ione digna, perridiculo homine, ut ex iis. quae posthac relata legimus, concludere licet et alioqui plane Lucianea" et confert D. Mort XX 4, de Conscr. Hist. 26, de Morte Per. 21, Abdic. 6 (ubi Cob. V. L. pg. 251 (ἀν)αξίαν οὖσαν), D Meretr. XIV 4. Sit hoc verum, Ionem esse hominem perridiculum, quod tamen lectores nondum sciunt (nam nihil adhuc fecit unde hoc efficere potuerint), lepor huius loci plane perit, si dicitur dignus esse, qui hac vicinia frueretur (i. e. qui vino aspergeretur); imo dicendum erat, hoc ei accidisse prorsus innoxio (οὐδὲν αἴτιος ὤν), ut homo ille de Calumnia 3: ἀπετέτμητο ἂν τὴν κεφαλὴν καὶ παραπελελαύκει τῶν ἐν Τύρῳ κακῶν οὐδὲν αὐτὸς αἴτιος γεγονώς, quae verba cum nostris haud parum conveniunt. De confusione τοῦ αἴτιος et ἄξιος cf. Cob V. L. pg. 80.

Praeterea habeo quaedam leviora: c. 9 ὑπ' αὐτῷ Ζήνων—ὑπ' αὐτόν verum arbitror; praecedit ὑπ' ἐκεῖνον nec non acc. legitur c. 43 ὁ δ' ὑπ' αὐτόν.